DE

JUSTINO MARTYRE APOLOGETA ADVERSUS ETHNICOS.

DE

JUSTINO MARTYRE APOLOGETA ADVERSUS ETHNICOS.

SCRIPSIT

F. J. J. A. JUNIUS,

THEOL. DOCT. ET V. D. M. IN HOLLANDIAE PAGO BENTHUIZEN.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD H. W. HAZENBERG.

MDCCCXXXVI.

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

MATRI CARISSIMAE

ET

SOCERO AMANTISSIMO

NENONI BURHOVEN VIËTOR

OMNI PIETATE COLENDIS

Sacrum.

PRAEFATIO.

Ecce tandem L. B. meam qualemcumque de Justino Martyre adversus Ethnicos Apologeta *dissertationem; quam, jam dudum typis expressam, prius defendissem, nisi cum morbus tum alia prohibuissent. De argumenti delectu ejusque tractatione paucis te admonitum velim. Ex quo in Theologorum scholas perveni, studium Theologicum prorsus literarium esse, id quod peculiari Oratione ostendit* KOOPMANSIUS *v. cl., mox haud sine magna animi voluptate et ipse experiundo cognovi, et alii liberalioris indolis Theologi mihi significarunt; hinc, quo historicam partem melius intelligerem, Patrum quoque Ecclesiae, qui dicuntur, monumenta evolvere coepi. Quo consilio, quum in Apologetarum, qui sec. II et III rem Christianam tuiti sunt, scriptis legendis versarer, de Justino Martyre, omnium Apologetarum fere primo, quem reliqui multis nominibus sequi solebant, neminem adhuc peculiariter scripsisse mirabar, idque eo magis, quum aliis Apologetis haud parum operae insumtum esset. Mecum igitur statui manum operi admovere; id quod praeceptores clarissimi et probarunt, et ne a proposito desisterem, me admonuerunt.*

Adhuc in dissertatione scribenda occupatus, subito ad sacrum munus obeundum vocor in coetu Christianorum, qui est in pago Benthuizen.

Ante opus susceptum absolvere cupiens, quam

gravissimum munus capesserem, non ea cura et diligentia illud elaborare mihi licuit, qua quidem voluissem. Appendicis loco, nimirum, nonnulla in medium proferre mecum constitueram de vi Philosophiae Neo-Platonicae in Justini scripta: nonnulla item de reliquorum Apologetarum Justinum imitandi studio. Haec, nunc praetermissa, fortasse in posterum aliquando peculiariter tractabo.

Prius quam praefationi finem imponam, non possum non vobis, praeceptores carissimi, gratum significare animum pro egregia institutione, benevolentia et consiliis.

Accipite hunc, viri clarissimi, V. D. PALM, SIEGENBEEK, BAKE, NIEUWENHUIS, PEERLKAMP, *quos in Literis Humanioribus praeceptores habere mihi contigit: vos inprimis, viri celeb.* CLARISSE, VAN HENGEL, *et* KIST, *promotor aestumatissime, qui paterno amore et benevolentia me complexi estis. Si quid in Theologicis disciplinis profecerim, id omne, post Deum immortalem, vobis acceptum refero. Accipite, omnes, quas solvere par est, gratias. Servemini diu in Religionis Christianae, Academiae, et vestram ipsorum salutem!*

Ex iis, quorum uti mihi disciplina contigit, tres jam viros clariss. SURINGARIUM, REUVENSIUM *et* HAMAKERUM, *morte nobis ereptos esse, ex animo doleo. Iis quid debeam,* HAMAKERO *inprimis, sentire magis, quam verbis exprimere queo. Utinam ne in longum tempus tantis cladibus affligatur Academia, affligatur Patria, affligantur bonarum Literarum studia.*

Scripsi in pago Benthuizen Kalendis Februariis CIƆIƆCCCXXXVI.

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

JUSTINO MARTYRE APOLOGETA ADVERSUS ETHNICOS.

Introductio.

Quodsi ad Theologicae disciplinae ambitum attendas, Apologetices studium varias propter causas magnopere sese commendat. Quamvis enim haec, rite instituta, eruditionem requirit haud vulgarem literariam, historicam, philosopham, animum denique liberalem et a praejudicatis opinionibus vacuum, (ut alia taceam,) et hoc nomine Juvenes fere absterret; tamen suâ ipsa, quam affert, suavitate et utilitate neminem non ad se allicit atque vocat. Est enim ea disciplina, quae, si ex ipsis fontibus (quae est una recta ejus tractandae ratio) hauriatur, doctrinam adaugeat; ingenium acuat, fidem denique nostram confirmet, et Religionis sanctissimae amorem inspiret. Uti universe Apologetices studium, pragmatice institutum, non potest non uberri-

mum hunc fructum praestare, ita pro parte eandem capiet utilitatem, qui alicujus memorabilis Apologetae scripta legat, meditetur, et pro viribus philosopham de iis instituat disputationem; in argumenta, quibus rem Christianam defenderit et commendaverit, inquirens eaque dijudicans. Quare et nobis *Justinum Martyrem Apologetam adversus Ethnicos* considerare lubet; ipsum vero hoc argumentum haud facile acriores criticos lenes reddet et faciles, si in argumenti expositione eum doctrinae apparatum et subactum judicium desideraverint, quae hîc a viro exercitato, minus a juvene, requiri possunt. Quod ad argumenti tractationem attinet, optimam nos viam ingressuros esse censuimus, si, nonnullis de scriptore ejusque scriptis praemissis, ipsa argumenta, quibus Christianismum defenderit et commendarit, exhibeamus, ac simul in causas inquiramus, quae Justinum induxerint, ut hac neque aliâ ratione Apologetae munere fungeretur; quale denique singulis argumentis, ab eo allatis, statuendum sit pretium, verbo significemus.

CAPUT PRIMUM.

DE JUSTINO MARTYRE, EJUS SCRIPTIS ET CONSILIO, QUO EADEM SCRIPTA SUNT.

§ 1.

De Justino Martyre.

Seculo secundo fere medio haud pauci, cum Judaei tum Gentiles maxime, Christianam religionem extra Palaestinam in nobilissimis Asiae, Africae et Europae urbibus amplexi erant. Non tantum plebeji verum etiam nobiliores, inter Graecos imprimis philosophi, rem Christianam cum contra Judaeos tum contra Ethnicos maxime tuebantur, vindicabant, laudibusque extollebant. Hoc tempore, post Quadratum et Aristidem, in scenam prodiit Justinus Martyr, Apologetae munere fungens cum adversus Ethnicos tum adversus Judaeos, de quo pro instituti ratione sequentia praemonuisse suffecerit, quo facilius, viri vita, institutione et indole cognitis, ipsius Christianismum defendendi et commendandi ratio intelligatur.

Justinus (1) haud diu post annum 114, ut videtur, Flaviae Neapoli, Palaestinae urbe, juxta antiquae urbis Sichem ruinas conditâ, primam lucem vidit. Patrem habuit Priscum Ethnicum, filium Bacchii, quem sub Vespasiano, a quo haec urbs nomen ac jus civitatis accepisse videtur, eo colonum profectum esse vero haud absimile est.

Quali adolescens institutione usus sit, non constat. Poetis, oratoribus, historicis legendis operam navasse videtur. Mox vero pro flagranti ipsius veri studio totum se philosophiae dedit. Quo melius id facere posset, patriâ urbe relictâ, Alexandriam, ut videtur, Philosophorum sedem petiit, ibique primum Stoicum, deinde Peripateticum, tum Pythagoreum paulisper, denique diutius Platonicum audivit Philosophum; quos tamen omnes, sive quod eorum placita sive agendi ratio ipsi displicerent, mox deseruit (2).

Quum ubique delusus esset, nec, quod quaereret, invenisset, Providentiâ divinâ factum, ut senex quidam Christianus, veram philosophiam in Prophetarum

---

(1) Halloixius peculiarem librum scripsit *De vita Justini Martyris* eumque multâ quidem doctrinâ, sed parum critice, falsa et fabulosa veris haud raro intermixta referens. Vide quoque *Prudentium Maranum* in docta ejus praefatione ad Justini Opera edita a Congregatione *Sancti Mauri*, Parisiis 1742. p. 62 sqq. Ceterum qui de Justino ejusque scriptis scripserunt eaque ediderunt, recensuit van Senden, *Verdediging van Bijbel en Openbaring*, Vol. I. pag. 203 sqq. Qui Justini vitam conscribere cupiat, maxime ipsius viri scripta adito.

(2) Cf. *Dialogus cum Tryphone* init. Fuit eadem hoc nomine ratio plerorumque Apologetarum: plures hoc ipsi significarunt.

scriptis et, quae his nitebatur, Christi doctrinâ quaerendam et inveniendam esse, eum moneret. Justinus veri inveniendi viam sibi a sene monstratam ingressus, Prophetarum et haec illave amicorum Jesu scripta, ut videtur, legit, relegit, meditatus est, cum Philosophorum placitis comparavit, eo quidem successu, ut cognitâ Christianae doctrinae praestantiâ, Christo nomen daret, in dies magis magisque ei adhaereret, ejusque doctrinam, perennem veritatis et felicitatis fontem esse persentiens, vitâ exprimeret, scriptisque defenderet et commendaret (1).

Anno circiter 169 a Crescente Cynico, hostili in Justinum animo affecto, ad urbis Praefectum Rusticum (2) delatus et Diis patriis sacrificare continuo recusans, morte mulctatus est, unde *Martyris* cognomen tulit.

Quod ad Justini indolem attinet, ex scriptis liquet, nil eum nimis arduum putasse, quo et ipse verum videret, et alii ut viderent, curaret; simul justi et honesti tenacem, unde suam professionem morum integritate ornabat, nec injurias ferre poterat. Virtutis amore ductus, et Christi doctrinam veram ad virtutem ducem cognoscens, nec minis nec promissis impediri poterat, quominus omni ratione Dei et Christi honorem quaereret, Christi doctrinam ubivis coram Imperatori-

---

(1) Cf. EUSEBIUS *H. E.* IV. 11. in fine. Romae diu habitasse videtur.

(2) Hic omnia apud Imperatorem valebat; cf. JULIUS CAPITOLINUS, Cap. 3. pag. 51. Edit. *Bipont. Script. hist. Aug.*

bus, Philosophis, aliis, profiteretur, et, his et reliquis, ut eandem in vitam aeternam ducem sequerentur, persuaderet. — Ut haec omnino in Justino laudanda, ita negari nequit eum animo fuisse fervidiore, unde haud raro felle et bile motus, sine justa Imperatorum reverentia, acerbius in judices invehit. Hinc fortasse explicandum, quod haud sedata satis mente scriberet, sed ab uno, in quo exponendo versabatur, argumento, continuo in aliud digrederetur. Justini animus in pietismum pronus, sed simul justo fervidior, scriptis cum materiam tum formam praebuisse dici potest.

Doctus vir procul dubio dicendus. Scripta abunde probant eum cum omnigenis disciplinis aliquam contraxisse familiaritatem; nulla non Poëtarum, Philosophorum et Oratorum, ut Sacrorum ita profanorum, opera, nocturnâ versasse manu atque diurnâ apparet. Critici vero partes male haud raro agit. Nisi ex temporum, quae viveret, ratione pro parte excusandus videretur, mirum accidit, quî vir tantae doctrinae tam simplici ratione, puerili fere dixeris, non tantum ratiocinari, verum etiam argumenta undique conquisita, vel nullius pretii, vel ex fontibus, de quorum authentia nil constat, ducta, tanquam valida, in medium proferre potuerit.

Philosophi nomine eum merito insigniri quis negaverit? ex scriptis apparet Justinum non tantum nullam intactam reliquisse Philosophorum scholam, verum etiam Philosophorum placita ponderasse, et eo inprimis consilio verum justum, pulchrum et honestum inquisivisse, ut et ipse sapientior, melior et beatior, et

alii itidem evaderent. Hoc veri Philosophi, Christiani maxime, egregium munus est!

Non possum non Providentiam Divinam, in Justino pro suo tempore Apologeta informando conspicuam, magnopere observare et mirari.

1°. Justinus ubivis verum inquirens, Philosophorum placita magnam partem absurda et falsa esse, nec hominum desideriis satisfacere ante edoctus, tandem dubius haerens, et ab incepto veri inveniendi fere desistens, Christi doctrinam cognovit. Hîc omne, quod verum, pulchrum et bonum esset, simplici ac perspicuâ ratione, eademque Deo summe perfecto digna, hominumque, quales sunt, desideria explente, ipsi offerebatur. Mox Christi doctrinam ad veram sapientiam et beatitatem ducem intime animo persensit. Hac ratione Justinus eo ducendus erat, ut Christianismi amore flagraret, omnia, ubi Christi causa, contemtus, ignominia, calumniae, poena quoque eum manerent; constanti et celso animo (quod tunc temporis maxime opus erat) vili pendere disceret; ut denique, ore et scriptis, alios e superstitionis et impietatis gurgite educere et ad verum sapientiae et beatitatis fontem transferre, impense cuperet.

2°. Justinus tanto doctrinae apparatu instructus, Philosophorum placita probe tenens, religio gentilium quî impietatis et pravitatis, nec non omnium domesticarum et civilium calamitatum, quae in pravis civium moribus plerumque originem habebant, causa esset, pernoscens, Apologeta exstitit ab omni parte, pro sui temporis ratione, bene armatus. Jam enim, quam

falsis gentilium religio niteretur argumentis, quam perversam in mores informandos vim haberet, luculentius probare et objectas difficultates solvere; Philosophi, quî nomen vitâ dedecorarent, doctrinâ, eamque proponendi ratione, homines nec sapientiores nec feliciores redderent, ostendere; ex ipsis denique poëtarum, historicorum, et philosophorum scriptis gentilium religionem refutare, Christianam vero defendere et commendare, eximie poterat; qua triplici ratione ad doctiorum et nobiliorum, ita in indoctorum et plebejorum usum, captum et commodum Apologetae munus egregie sustinere poterat.

3°. Vita vero et institutio eo quoque valuerunt, ut Christi doctrinam ita defenderet et commendaret, ut in scriptis offendimus. Philosophorum, Platonis maxime, placitis imbutus, non poterat non Christi doctrinam, ex philosophia explicare et ad eam accommodare. A sene edoctus, in Prophetarum scriptis Christi doctrinam magna ex parte indagandum esse, facile eo ducebatur, ut horum vatum Hebraeorum scripta fundamenta poneret, quibus Christi doctrinae divinam originem, auctoritatem, quin imo universum ejus ambitum superstrueret.

Quae diximus, ubivis Justini scriptis confirmantur; et quo facilius Justini scripta intelligantur, maxime faciunt. Qualis Apologeta, quae scribendi et argumentandi ratio nos maneant, jam ex dictis quodammodo colligi potest.

§ 2.

De Justini Scriptis, quae hîc in censum veniunt.

Justinus in omnibus, quae supersunt, scriptis, Christianismum sive rectâ sive obliquâ via defendit, eumque commendavit, idque sive Judaeis sive Gentilibus. Quum constituerimus Justinum Apologetam considerare adversus Ethnicos, non vero adversus Judaeos, quisque jam intelligit ad nostram rem ea tantum pertinere, in quibus rem Christianam coram gentilibus tuitus est, nec adeo *Dialogum cum Tryphone Judaeo* hîc in censum venire, nisi quatenus in aliis scriptis ad gentiles dicta inde explicantur (1). Scripta, quae falso Justini nomine circumferuntur, qualia sunt: *Ἐπιστολὴ πρὸς Διόγνητον* (ceteroquin egregia), *Ἐπιστολὴ πρὸς Ζήναν καὶ Σέρηνον*, *Ἔκθεσις τῆς ὀρθῆς ὁμολογίας* sive *πίστεως*, *Ἐρωτήσεις καὶ Ἀποκρίσεις πρὸς τοὺς ὀρθοδόξους περὶ τίνων ἀναγκαίων ζητημάτων*, *Ἐρωτήσεις Χριστιανικαὶ πρὸς τοὺς Ἕλληνας* cum additis *Ἀπροκρίσεσι Ἑλληνικαῖς*, *Ἐρωτήσεις Ἑλλήνικαὶ πρὸς τοὺς Χριστιανοὺς περὶ τοῦ ἀσωμάτου καὶ περὶ τοῦ Θεοῦ καὶ περὶ τῆς ἀναστάσεως τῶν νεκρῶν*, denique *Ἀνατροπὴ δογμάτων τινῶν Ἀριστοτελικῶν*, quorum omnium stilus et argumentum, Manichaeismo saepe oppositum, Justinum

---

(1) Dicta in *Dialogo cum Tryphone*, collata cum iis, quae in aliis scriptis, maxime Apologiis, habentur, haud raro haec explicant.

auctorem abnegant, prorsus missa facimus; fragmentorum, maxime libri *περὶ ἀναστάσεως*, interdum rationem habebimus. In censum hîc veniunt *Λόγος πρὸς Ἕλληνας*, *Λόγος παραινετικὸς*, *Περὶ Μοναρχίας*, et *Apologiae* duae proprie sic dictae.

Non est hujus loci, varias Virorum doctorum sive de authentia sive integritate sive tempore, quo singula scripta sunt, sententias accuratius explorare et judicare. Quod ad authentiam attinet, haec quinque, quae citavimus opera, Justino tribuenda esse, cum internis tum externis argumentis, hodie haud pauci, et inter hos acriores quoque critici, censent (1).

---

(1) Nuper incepit ARENDTIUS in *Ro. Cath. Theolog. Quartalschrift 1834*, edere *Kritische Untersuchungen über die Schriften Justinus des Martyrers;* in quibus (art. 1) praeter editionum recensionem, *Cohortationem ad Graecos*, spuriam esse sibi demonstrare videtur. Haud negari nequit, multa pro ARENDTII sententia facere. Primarium dubium, quod et summum NEANDRUM (*Allgemeine Geschichte der Chr. Religion und Kirche*, 1 Band, 3 Abth. pag. 1121) impedire videtur, quominus JUSTINUM hujus auctorem agnoscat, hoc est, quod hîc omnem Religionis scientiam ex revelatione Divina repetat, in Apologiis vero aliquam per *λόγον σπερματικὸν* hominibus innotuisse dicat, saepiusque urgeat. Dubium hoc nobis non tanti videtur, ut *Cohortationem* spuriam dicamus et scriptum quoddam a Judaeo-Christiano confectum. Etenim in ipsis Apologiis. v. c. 1 Cap. 44 idem, quod hîc de industria agit, verbo monet, nempe Poëtas et philosophos, sua a Prophetis mutuatos, inde explicuisse: addit, *ὅτι παρὰ πᾶσι σπέρματα τῆς ἀληθείας δοκεῖ εἶναι.* Ipsum furtum suo modo exemplis probat Cap. 59 et 60, JUSTINUS ergo, quod cum Clemente Alexandrino maxime commune habet, cum ex *λόγῳ* tum ex revelatione Divina omnem rerum Divinarum scientiam repetit; neuter tamen dicit, quî unus fons ad alterum referatur: quaestio igitur huc redit, quare hîc illud, illic hoc magis urgeat; quae dirimi forsan potest ex diverso, quod diversis locis sibi proposuit, consilio. Revelationem primarium religionis fontem adhibet ad Philosophorum, quorum scriptis reli-

Quod ad integritatem, si nobis dicere liceat, putaverimus haud paucos ibi lacunas reperire sibi visos, ubi non exstant, licet negatum nolimus hic et illic nonnulla excidisse. Quidquid hujus rei sit, quae exstant, in usum nostrum convertemus. Quod denique tempus attinet, eorum sententiam sequemur, quae nobis, re satis explorata, omnium visa est verisimillima.

De singulis sequentia hîç monuisse suffecerit.

Λόγος πρὸς Ἕλληνας est exiguus libellus, haud diu, ut videtur, post conversionem conscriptus: faciunt pro hac sententia, 1°. quod Capite I rationes exponit, ob quas gentilium religionem missam fecerit; 2°. scribendi ratio, quae ubivis dominatur, animum prodens gentilium religionem indignantem et irridentem, Christianae contra ardore plenum, ita ut haud sine Enthusiasmo scriptum esse, luce clarius appareat. Ut hoc autem eorum in universum proprium est, qui in vero quaerendo diu frustrati, denique illud invenisse sibi videntur, ita eorum maxime, qui ad religionem Christianam conversi sunt.

---

gionem suam contineri et fundari dicebant Ethnici, auctoritatem infringendam. Hoc consilio maxime ducitur in *Cohort.*; Doctrinam de *λόγῳ σπερματικῷ* ad commendandam religionem Christianam, quippe haud prorsus alienam a Philosophorum doctrina, quâ nonnulla, obscure licet et depravate, Religionis Chr. placita jam continerentur. Hoc consilio maxime in Apologiis ducitur. Ne dicam, cum aliis eum rem habere, ubi *λόγου σπερμ.* doctrinam adhibet, cum aliis, ubi V. F. primarium fontem dicit; hi philosophi erant, qui forsan V. T. libros adirent; illi philosophiae quidem amantes, sed quos tamen S. C. adituros parum verisimile erat. Haud diffitemur tamen, nobis subinde suspicionem obortam esse librum esse spurium. Argumenta tamen graviora ad hoc probandum necessaria nobis videntur.

Scriptum esse eo consilio, ut, gentilium religionis absurditate et vanitate in luce collocata, eique religionis Chr. praestantia opposita, gentiles ad Christi castra traduceret, nemo facile dubitaverit (1).

Λόγον Παραινετικὸν (2) Romae scripsisse videtur paulo post λόγον πρὸς Ἕλληνας. Argumentum, penes philosophos veritatem non esse, leniter procedens argumentandi ratio, stilus, qui nitidior et politior quam in reliquis hic animadvertitur, altum de persecutionibus silentium, alia, probare videntur Justinum hoc opusculum scripsisse haud diu post conversionem (3). Si conjecturae locus est, primis Antonini temporibus, quum ipse cum reliquis Christianis pace adhuc gaudebat.

Eodem consilio, quo λόγον, hunc librum scripsit, ut Ethnicos a religione sua abduceret: hîc autem aliam viam ingreditur. Etenim uti in λόγῳ demonstraverat in poëtarum mythis veritatem inveniri non posse, ita hîc, ne in philosophorum, ad quos provocabant, scriptis, praesidium sibi quaererent, id agit 1°. ut sedata mente, omni, qua pollet, doctrina et ingenio, ob oculos ponat eximios scilicet! istos philosophos nil certi nec veri dixisse; 2°. eosdemque et alios, si quid de Deo ejusque cultu bene dixerint,

---

(1) Verbo hîc argumentum exhibuisse satis erit, quum postea ipsa, quae affert, argumenta nobis occurrant.

(2) Idem esse liber videtur, qui veteribus ἔλεγχος nuncupatur. Librarii titulos interdum mutabant.

(3) Haud necesse duco cum NEANDRO statuere, diu post scriptas Apologias, JUSTINI sentiendi ratione mutata, librum hunc scriptum esse. Vide quae modo in annot. monuimus.

id omne ex Prophetarum scriptis, iisque divinis, petivisse (1). Hinc liber in duas partes dispesci possit.

Sequitur libellus, cui titulus *περὶ Μοναρχίας*; quem haud diu ante vel post *λόγον παραινετικόν*, ob ipsum argumentum, scriptum esse conjicio. Hac scriptiunculâ Justinus unius Dei cultum stabilire voluit. Hunc ab initio fuisse, deinde vero Daemonum instigatione et hominum pravitate idololatriam, omnis mali fontem, usu invaluisse, ex ipsis scriptoribus Graecis, qui sese huic opponunt, disserit. Sunt, qui Eusebii (2) auctoritate priorem hujus libri partem periisse opinentur; quibus tamen equidem assentiri haud ausim. Eusebii enim locus, ut Prudentius Maranus tentavit, non tantum aliter explicari possit (3), verum etiam primarium argumentum ipsi libello inest. Omnia produnt totum et integrum esse; et nisi Eusebii locus exstaret, eximie dubito, an unquam quis aliquid desiderasset (4). Ipse Justinus non ait se id, quod agit, ex Sacris scriptoribus probaturum, sed ex Graecis tantum; haec sunt ejus verba: *ἐξ ὧν γὰρ οἱ πάνυ τὰς τῶν εἰδωλοθρησκείας νόμον τοῖς πολλοῖς παρέδοσαν, μαθόντες ἐξ αὐτῶν ἀγνῶτες νοῦ ἐλεγχθήσονται ὑπὸ τῶν παρ' αὐτοῖς ποιητῶν καὶ μελογράφων* (5).

---

(1) Ipse JUSTINUS consilium et argumentum exhibet Cap. 1.

(2) *Hist. Eccl.* IV. 8. item NICEPHORUS L. IV. Cap. 6.

(3) EUSEBII loci interpretatio a *Prudentio Marano* in *praef. edit. Congr. Sancti Mauri* ingeniosa quidem, sed contorta est. Nos ipsâ non convictos esse, non diffitemur.

(4) Cf. LANGI *praefatio* ad h. l.

(5) Cap. 2.

His tribus opusculis Justinus ex parte tantum rem Christianam defendisse et commendasse dicendus est, id agens, ut gentilium religionem falsam, absurdam et omnis pravitatis fontem, esse demonstret, veram contra religionem unice in Christi doctrina inveniri; eamque (quod maxime in *Cohortatione* tentat) inniti et confirmari Prophetarum doctrinâ, unde scriptores Ethnici, quae bona dixerant, mutuati essent; quae tamen minus intellecta, male et corrupte, memoriae prodidissent.

Etiamsi Justinus his rem Christianam ipsam, non nisi verbo, et e longinquo quasi, defendisset et commendasset, tamen et hìc Apologetae munere egregie functus est. Etenim primaria causa, ob quam Christianos gentiles persequerentur, erat quod avitam religionem deseruissent; praeterea non potuit non gentiles his a religione avita alieniores reddere, nec non cupidos, doctrinam Christianam, quam, quae sui optima dixerant, continere, quamque tot tantisque a Justino laudibus extolli audiebant, accuratius inquirendi et indagandi.

Mox tempora (persecutiones dicimus) accesserunt, quae Justinum stimulabant totam Christianorum rem (1),

---

(1) Libri pro re Chr. ab Apologetis scripti, sunt duplicis generis: unum eorum, qui universam rem Chr. tuentur; alterum eorum, qui in defendenda religionis Chr. vel singulorum ejus dogmatum veritate ac praestantia, aut impugnanda gentilium superstitione versantur. Utriusque generis libros refert EISENLOHR, in Commentatione *de Argumentis ab Apologetis Sec. 2 ad confirmandam, relig. Christ. veritatem ac praestantiam contra gentiles usurpatis*; in *Sylloge commentationum Theol. edita a* D. J. POTT, p. 121.

cum doctrinam, tum maxime qui eam profitebantur, latius explanare, tueri et vindicare. Persecutiones nimirum, sive publicae sive privatae, effecerunt, ut Justinus non satis duceret, libellos, eo, quod supra significavimus, consilio, in vulgus spargere, verum etiam ut coram Imperatoribus aliisque nobilioribus rei Christianae, suo modo, ore et scriptis, vindicias ageret.

Hinc duae, proprie sic dictae, exstiterunt *Apologiae*, eximia illa antiquitatis Christianae monumenta.

Primam eamque majorem circiter annum 139 (1) (secundum alios 150), quo variarum, quibus omnes fere Provinciae premebantur, calamitatum (2) auctores Christiani esse putabantur, Antonino Pio ejusque filiis, Senatui et ipsi populo R. Justinus obtulit. Probe sciens Apologetae munus polemicâ parte non absolvi, non satis ducit Christianos innocuos probare; verum etiam didactica parte, eâque fere majore, totam causam Christianam ita exponit, ut doctrinam, mores et instituta Christianorum referens, quanta Christianae doctrinae praestantia sit, et quantopere sese cuivis homini commendet, argumentorum copiâ demonstret.

Possit haec Apologia in tres partes distribui: quarum priore, ab initio ad Caput 22, Christianorum innocentiam; in altera, a Cap. 22-60, religionem Christianam certissimis niti argumentis; in tertia, a Cap. 61-69, quid in Christianorum mysteriis peragatur, fusius exponit.

---

(1) Cf. NEANDER, 1 B. 3 Abth. p. 1112.

(2) Cf. JULIUS CAPITOLINUS in *Antonino Pio*, Cap. IX. p. 44 sqq. edit. Bipont.

Quum sub Antonino Pio (1) Urbicus praefectus urbis, instigante maxime Philosopho Crescente, acriter Romae in plures Christianos nulla justa de causa saeviret, Justinus, quamvis sciret de sua pernicie consilia inita esse, tamen Christianorum causam sibi tuendam esse censuit, quare hanc alteram minorem Apologiam, Senatui, ipsique Imperatori (ad quem mox orationem suam convertit (2) obtulit; demonstrans Christianos non alia de causa vexari, nisi quia veritatem docent et virtutem colunt, idque imprimis fieri opera Daemonum, qui sese semper λόγῳ divino opponere soleant.

Haec de Justini scriptis eorumque universo argumento praemonuisse, satis est. Nemo non ex dictis intelligit, non posse non singulorum horum librorum, peculiarem esse indolem; cernitur illa in diverso argumento, consilio et scribendi ratione. Etsi enim ubivis eundem Justinum idem agere videmus, tamen singulis libris pro diverso, ad quod scripti sunt, hominum genere, privi quid non potuit non adhaerere. In Apologiis aliud ipsi ante oculos obversatur consilium, quam in Dialogo cum Tryphone et libellis ad Gentiles scriptis: in his verba facit ad homines superstitione et ignorantia seductos, in illis ad homines, iisdem quidem vitiis laborantes, sed simul politicos; hinc gentiles perspicua, brevi, ingenioque congrua ratione, de religionis avitae absurditate, Christianae vero praestantia convincendi; Imperatoribus aliisque nobilioribus non tantum

(1) Cf. NEANDER l. c. qui cum Valesio et Longeruio consentit, 1 B. 3 Abth. pag. 1114 sqq.

(2) Cap. 3, ibique HUTCHINI annotatio.

eadem probanda, verum simul uberius et accuratius tota Christianorum res explananda erat, ut non tantum Christianos innocuos esse, verum simul Christi religionem eam esse pateret, quae unice vera, certissimis innixa fundamentis, homines et cives informaret optimos, quique tolerarentur certe, dignissimos.

§ 3.

De Justini scribendi ratione.

Scribendi ratio omnium scriptorum, Apologetarum maxime, explicanda et dijudicanda ex varia scriptorum indole; ex diversis, in quibus versantur, temporum rationibus; ex diversis, quae tractant, argumentis; aliis, quae ex his tribus nasci solent. 1°. Justini viri philosophi et docti, religionis Christi amore flagrantis scripta doctrinâ et philosophiâ plena sunt. Omnia tamen produnt virum dicendi non adeo peritum. Nam etsi scribendi ratio est facilis et perspicua, tamen lucidus ordo haud raro desideratur. Nec verborum delectus, nec periodorum structura placet. Longae illae digressiones, (Justinus plerumque literis consignasse videtur, prout hoc vel illud ipsi in mentem veniebat) ad ea, quae agit, parum facientes, fastidium creant. Ne quis tamen dicta ita accipiat, ac si nullus exceptioni locus detur. Interdum Justinus merus orator est, lectores et judices alliciens ac movens, quod ibi maxime deprehenditur, ubi de religionis Chr. praestantia ejusque in hominum animos vi et efficacitate agit.

Scripta sua omnia, imprimis Apologiam primam et *Λόγον πρὸς Ἕλληνας*, eâ formâ induit, quae orationum propria esse solet. 2°. Temporibus deberi videtur, quod Justinus animo commoto, indignationis et simul misericordiae pleno, haud sedata mente, confuse et minus concinne scriberet, argumenta proferens, numero quidem frequentia at simul ad criticam lancem exacta, haud raro parum vel nihil dicentia; iisdem factum videtur, ut Justinus, festinanter scribens, ab uno, in quo versatur, argumento ad alterum temerarium saltum faciat, nunc minis et acriter dictis, nunc joco, sale et sarcasmorum acerbitate, nunc leni et placida ratione alios convincere studens (1). 3°. Argumentorum denique diversitas effecit, ut alia Enthusiasmo et ardore, alia Orationis gravitate conscriberentur, in aliis scribendi genus aridum et languidum regnet.

---

(1) His confirmantur, quae Doct. TZSCHIRNERUS monuit *Fall des Heidenth.* § 209, et *Gesch. der Apol.* pag. 233, interna afferens indicia, unde patet tempore persecutionum Apologias a Justino conscriptas esse, idque adversus SEMLERUM, nimis acrem et saepe temerarium criticum, qui, novi quid dicendi studio ductus, contendit, has Apologias numquam Romanis legendas oblatas esse; eas non esse nisi exercitationes rhetoricas. Cf. Viri praefatio ad BAUMGARTENII *Unters. Theol. Streitigkeiten*, 2 B. pag. 44 et 62, anm. 64.

§ 4.

De consilio, quod Justinus in operibus suis conscribendis sibi proposuit et de ratione, quâ hoc consilium obtinere conatur.

Quicunque Apologetam aliquem considerare et judicare constituit, ei ante omnia incumbit, ut in mentem ejus penetret, ad criminationes, quae ipsi conscribenti animo obversarentur, attendat, consilium denique, quo duceretur, perspiciat. Haec una eaque genuina ratio videtur, quâ Apologetae consilium recte proponatur, argumenta bene disponantur, justum denique et aequum de iis feratur judicium. Quare et nos id maxime egimus, ut perspiceremus, quo primario consilio Justinus in quinque, quae citavimus, operibus, simul consideratis, ductus fuerit; quo melius Justini mentem et consilium indicaremus, et argumenta, quibus consilium suum obtinere cupiat, ad capita quaedam primaria referremus et disponeremus.

Ante vero, quam significemus, quale nobis illud consilium visum sit, verbo indicandum, (nam deinde singula fusius explicandi aptior locus erit,) quae et Christianorum, quorum rem susciperet, et adversariorum, quibus rem Christianam commendatam voluit, ratio esset.

Quamdiu Christianismus, ut ait Tertullianus (1),

---

(1) *Apol.* 21.

esset *sub umbraculo licitae Judaeorum religionis*, minus oculos ad se convertebat; tanquam Judaeorum secta in imperio Romano ferri poterat (1); Christianorum parum rationis habebatur (2). Alia autem rerum facies fuit, ex quo quam plurimi omnis generis loci et ordinis homines Deorum cultum deseruerant et Christiana sacra receperant. Ab eo inde tempore Christiani triplici nomine ferri non poterant: ob desertum enim Deorum cultum habebantur impii Deorum et Imperii hostes: ob religionis Christianae professionem superstitiosi, fanatici, dementes: ob crimina denique, quorum rei esse credebantur, scelesti et pessimi homines et cives. Ob triplicem hancce causam, quarum una fere ex altera promanabat, quaeque sejungi nequeunt, criminum, quae diximus, et similium, quae his congrua sunt, rei habebantur, idque a Plebe, Politicis, Sacerdotibus et Philosophis, qui, suis singuli inducti rationibus, Christianos civitate expellendos, nec eorum religionem tolerandam esse clamabant (3). Nec mirum hoc: Plebs enim, ut deinde videbimus, varias propter causas toto animo Deorum cultui addicta, ferre non poterat Christianos, qui Deos riderent, et pro avita religione superstitionem novam, origine ignobilem, omnis mali fontem, ut credebatur, profitebantur (4).

---

(1) Tzschirner, *Geschichte der Apologetik*, pag. 189-190.

(2) Tzschirner, l. l. pag. 197.

(3) Cf. Tzschirner, l. l. pag. 189-225. Neander, *Allgemeine Geschichte der Chr. Religion und Kirche*, I B. 1 Abth. pag. 122 sqq. Eisenlohr in Comm. cit. pag. 127 sqq.

(4) Eisenlohr, l. c. pag. 128. Neander, l. c. pag. 125.

Notum, religionem apud veteres fuisse rem politicam; qui religioni receptae et legibus confirmatae sese opponeret, ipsius imperii hostis habebatur. Hinc Christiani, qui Deos non tantum spernebant, verum etiam sacrificia pro Imperatorum salute Diis offerre, per genium Imperatorum jurare et Imperatorem Deum salutare recusabant, a Plebe non tantùm Athei, verum etiam imperii hostes considerabantur, idque vel maxime a Politicis, qui, despotico imperio populum continentes, ab omni innovatione civili, qualem Christianam rem considerabant, quam maxime erant alieni (1).

Pictores, sculptores, alii id genus homines, multum e Deorum cultu lucri ferentes, sacerdotes item ex ara viventes et multum in populum valentes, quum templa et fana deserta viderent, populum incitabant, ut Christianos igne et ferro peterent.

Triplex hoc hominum genus superstitione, ignorantia, commodi studio, aliis ductum, Christianos in odio habebat. Praeterea Philosophi ipsam religionem, ex parte cognitam habentes, docte et callide aggrediebantur, quo et ipsi a Christi doctrina alieni manerent, et reliquis omnibus, quam res Christiana falsa et absurda esset, persuadere tentarent (2). Stoici, ἀπαθείᾳ suâ maxime gavisi, non poterant non Christianos, ardore et enthusiasmo ductos, fanaticos habere. Platonis, qui se vocabant, sectatores idealismo suo religioso apti esse videbantur, qui Christiana sacra amplecterentur, verum

(1) Tzschirner, l. c. pag. 218-223. Neander, l. c.
(2) Tzschirner, l. c. pag. 225-264.

superbiâ nimis retinebantur, quo minus a Judaeo profectam religionis doctrinam eamque omnigenis hominibus unam eandemque, aliasque ob causas, reciperent. Omnes nimium philosophis suis placitis et scholis, superbientes, religionem Christianam et ipsos Christianos, a quibus haud raro ludibrio exponebantur (1), omni modo aggrediebantur, gentilium contra religioni argumentis philosophis et historicis auctoritatem et dignitatem parare conabantur, (2).

Ex his, quae universe tantum verbo adumbravimus, pateat, qualis res Christiana haberetur, a quibus et ob quas causas contemneretur, sperneretur et peteretur. Certamen erat apertum inter Christianos omni ratione tentatos et plebem non tantum, verum et viros potentiâ, auctoritate et doctrinâ omnia valentes. — Justinus contra tales rem Christianam sibi defendendam sumit, et ab iisdem, re Christianâ innocuâ probatâ, malorum finem et tolerantiam impetrare conatur; neque hoc tantum, verum et id agit, ut ipsi illi adversarii omnes Christianam religionem reciperent. En duplex consilium, quo Justinus in operibus suis conscribendis ducitur. Utrumque hoc conjunctum cernitur in ejus scriptis (3), ut nescias fere, utrum

---

(1) Cf. v. c. JUSTINI *Apolog.* II, Cap. 8.

(2) NEANDER, l. c. pag. 31 sqq. et 248 sqq.

(3) Ut supra diximus, tres libellos de industria hoc consilio scripsit. Hinc explicatur quoque, quare in Apologiis suis singula fere placita explicet, eorumque prae philosophorum placitis praestantiam indicet; ne dicam Justinum ipsum hoc consilium in Apologiis disertis verbis indicare, conf. v. c. *Apol.* II, 13, quam scripsisse se ait, ut

primarium habuerit. Qui leviter tantum Justini scripta inspexerit, facile animadvertet, Justinum, dum Christianos defendit, proprio quodam animi ardore eos eximie ob professionem et virtutes laudare; ipsa, quae Christianis objiciebantur, crimina in gentiles indignabundé retorquere, hosque ob suae professionis stultitiam et morum pravitatem ironice et acerbe vituperare; at simul tamen eosdem generose invitare, ut ab omni parte Christianorum fiant similes, ac dubia, quae obgerere forte possint, docte et ingeniose ex sui aevi indole labefactare.

Triplicem indicavimus causam, ob quam Christianis inviderent gentiles; consilium significavimus, quo Justinus duceretur, unde patuit, eum criminationes, ex causis indicatis ortas, in ipsos gentiles retorsisse, Christianos defensos non tantum verum et laudatos, ipsos autem gentiles de religionis Chr. praestantia persuasos voluisse, ut Christianos non tolerarent tantum, verum et ipsi Christiani evaderent. Hinc unusquisque videt, nobis, pro instituti ratione, ejusdem rationem habendam esse, et, si Justini mentem exponere velimus, idem in disputatione sequi oportere; quare optimam viam nos ingressuros esse putavimus, si, utrius-

---

gentiles *μεταθῶνται*; addit: *τούτου γε μόνου χάριν τούσδε τοὺς λόγους συνετάξαμεν. Apol.* 11, 13, item *Apol.* 1, 1, alibi saepe. Alios meliora docere et efficere, ut Christi sacra amplectantur, gravissimum Christianorum habet officium; *Apol.* 1, 10, 44. Hinc quoque eorum religionis et morum pravitatem ita proponit, ut sensum moralem excitare voluisse appareat, ne in avita superstitione et morum pravitate persisterent. Vid. *Apol.* 1, 55, 56, *de Monarch.* 1. Cf. et ZZSCHIRNER, l. c. p. 422, et *Fall des Heid.* p. 221.

que consilii, arcte juncti, ratione habitâ, utrumque Apologetae munus, defensionem et commendationem conjungentes, disputationem in tria sequentia capita divideremus.

1°. Christiani haud impii sunt habendi, quod vanum cultum reliquerint, nec ideo persequendi; imo laudandi potius, quod unius veri Dei cultum, eumque omnium antiquissimum, ex vero et divino religionis fonte petitum, sanae rationi magnopere comprobatum, amplexi sint. Impii potius considerandi ipsi gentiles, quod in avita superstitione persistentes, unum verum Deum non colant: quare quam citissime, ut Christiani, falsum Deorum cultum deserunto.

2°. Christiani nec ob reliquam suam professionem spernendi, sed magnopere laudandi, quippe quâ Divinitus ortâ, omnium antiquissimâ, perfectamque constituente philosophiam, homines, quid verum, justum et honestum sit, eximie discunt. Ob stultitiam ipsi gentiles vituperandi, qui philosophiae imperfectae et a Daemonibus misere corruptae addicti manent, pro qua adeo Christianorum professionem amplectantur, quam maxime oportet.

3°. Christiani falso criminum rei habentur, professionem vita referre soliti; quique hoc minus faciunt, non Christiani censendi sunt. Injusti potius et iniqui gentiles, qui, pessimis consiliis ducti, optimos homines et cives omni modo vexant, qui si hominum et imperii salutem promovere velint, id agunto, ut omnes Christianis moribus exornentur.

Haec tria capita, arctissime cohaerent, nec unum

ab altero sejungi potest. Ad haec tria capita omnia reliqua, quae defensioni et commendationi inserviunt, argumenta facile referri possunt. Haud diffitemur hanc divisionem suas habere difficultates, sed post accuratam explorationem omnium optima nobis visa est, quâ et Justini mens optime exprimeretur, et argumenta, quae affert, apto ordine disponerentur. — Ex horum, quae exhibuimus, capitum argumento, nemo non jam intelliget, Justinum ex sui aevi indole Apologetae munere fungi. Argumenta affert pro Christianorum sui temporis et adversariorum ratione, nec non pro sui ipsius ingenio, animi indole, institutione cet. exspectanda; quae quidem minime negligenda, ut aequa et justa de Justino instituatur censura. Diversis enim temporibus diversi existere solent Apologetae. Varie Ethnici, Judaei, Muhammedani, Deistae, Naturalistae, alii Christianismum aggredi solent. Hinc aliud quid agunt Apologetae, qui tribus prioribus seculis vixerunt: aliud qui medio aevo: aliud denique, qui sub seculi XVIII initium, et post seculi XVIII medium rem Christianam tueri cupiunt. Temporum, quae vivunt, singuli ingenium referunt; ex aevo defendendi et commendandi ratio intelligenda et dijudicanda est. — Ut haec universe valent, ita quoque de Justino; hinc, si quis forsan alia argumenta, quae maximam partem apud omnes Apologetas seculis tribus prioribus obvia sunt, desideraverit, is nec Justini, nec eorum, quibuscum ipsi res erat, mentem cognoscens, aliquid desiderat, quod exspectari nequit, et eximie dubito, num alia argumenta, quae hodiernus Apologeta forsan suggerere velit,

plus habitura fuissent efficacitatis apud homines talibus sententiis et opinionibus imbutos. Ne quis tamen putet Justinum argumenta eo ordine proponere, quo nos proponere ea constituimus. Contrarium jam patet ex argumentis librorum supra exhibitis. Aliud in hoc, in illo libro aliud fusius exponit.

Sequentia monita sint de ratione, quâ argumenta proponere solet. Per aliquam defensionis praeparationem (egregiam in Apologia prima) lectores benevolos et attentos sibi reddere studet, et cogere quasi, ut in rem Christianorum inquirant. Placida mente videtur Justinus opera sua exorsus, unde in initio lucidus plerumque ordo dominatur; mox vero, Enthusiasmo, indignatione, aliisve animi affectibus actus, ab argumento digreditur, aliud incipit, mox abruptum restaurat, ubique rem suam agens libere, sine metu, nunc ingeniosa nunc puerili ratione disputans, dubia eximens, refutans et in ipsos adversarios retorquens. Post argumenti expositionem plerumque peroratione utitur, cui multae easque egregiae insunt oratoriae laudes.

His praemonitis jam ipsa tria capita exponere et dijudicare aggredimur. Quae dum facimus, ratio nobis habenda erit cum Christianorum, quos defendit, tum Ethnicorum, quibus rem Christianorum commendat, et imprimis ipsorum argumentorum, quae in utrumque finem a Justino afferri soleat.

CAPUT ALTERUM.

ARGUMENTA, QUAE DEFENSIONI ET COMMENDATIONI INSERVIUNT, EXPONUNTUR ET DIJUDICANTUR.

§ 1.

Christiani haud impii sunt habendi, quod vanum Deorum cultum reliquerint, nec ideo persequendi; imo laudandi potius, quod unius veri Dei cultum, eumque omnium antiquissimum, ex vero et Divino religionis fonte petitum, sanae rationi magnopere comprobatum, amplexi sint. Impii potius considerandi ipsi Gentiles, quod in avita superstitione persistentes, unum verum Deum non colant; quare quam citissime, ut Christiani, falsum Deorum cultum deserunto.

Omnium gravissimum crimen, ob quod Christiani in odio habebantur nec ferri poterant, hoc erat, quod Deorum cultum deseruissent. — Hanc patriam religionem, antiquitate, vaticiniis, miraculis, imperii fortunâ et gloriâ fundatam, stabilitam et confirmatam, deseruerant non tantum, verum et ridebant, alios omnes, quantumpote, ab ea abstrahere tentabant! quanta

impietas, quanta dementia (1)! non erat rumor, non fama; omnes Ethnici suis ipsi oculis conspiciebant; ipsi Christiani hoc ipso gloriabantur.

Qui Deos contemnebant, nihil revereri posse credebantur. Hinc Christiani Deorum, imperii, omnis virtutis hostes habebantur; hinc nulla non crimina, iis objecta, facile credebantur et amplificabantur (2).

Uti Justinus hanc ob causam omni ratione probare debebat, Deorum cultum falsum et absurdum esse, ita pro consilio, quod sibi proposuerat, aliae eaeque haud minus magni momenti causae eum ad idem impellebant.

Polytheismus enim omnium gravissimum erat impedimentum, quominus Ethnici Christi religionem, ejusque primarium *de uno Deo* placitum, amplecterentur (3). Deorum cultui valedicere et unum Deum profiteri idem fere habebatur, quod Christi religionem recipere: hinc in scriptis Apologetarum Christianam religionem et Monotheismum profiteri idem nonnumquam denotat. At vero hujus Polytheismi falsitatem probare, hoc opus, hic labor erat! Plebs enim superstitioso quodam ardore hoc tempore Polytheismo delectabatur (4). Praecesserant tempora, quibus omnis fere evanuerat religio. Homo per tempus desiderium rerum Di-

---

(1) Cf. SCHROECK, *Kirchengesch.*, Th. III. p. 6 sqq. TZSCHIRNER, l. l. pag. 209 sqq. 399 sqq. NEANDER, 1 B. 1 Abth. pag. 132 sqq.

(2) De vexationibus Christianorum hoc tempore vid. TZSCHIRNER, *Fall des Heidenthums*, pag. 302 sqq.

(3) Cf. EISENLOHR, l. c. pag. 128.

(4) EISENLOHR, l. c. pag. 128 sqq. TZSCHIRNER, *Fall des Heidenthums*, pag. 51 sqq. 118 sqq.

vinarum et sublimiorum supprimere, animo penitus expellere non valet.

Imperium Romanum variis premebatur calamitatibus; ipsi gentiles, sensu morali evigilante, morum pravitatem fastidiebant; Philosophi, supra captum plebis, ut Platonici, vel contra naturam humanam, ut Stoici, philosophari soliti, parum iis proderant nec placebant. Tempora respiciebant antiquiora, quibus homines, religiosi Deorum cultores et amici, prosperis rebus usi erant; hinc ad avitum Deorum cultum reversi eumque toto animo amplexi erant. Polytheismus ex sua ipsius indole non poterat non plebi rudi, sensibus et phantasia ductae, quam maxime esse gratus. Nam licet unius infinitae omnium causae fides hominum naturae innata sit, rudes tamen eo sese evehere nequeunt; unus Deus hoc quoque tempore erat Deus sapientum. Polytheismum praeterea non tantum crassum, verum et subtiliorem noverant. Dii multis divinis attributis erant insignes; metu et sensum religiosum explendi desiderio facile eos recipiebant et colebant. Sacris denique antiquis, quo magis antiquam suam vim reciperent, peregrina addita erant, eaque mysteriis plena, quae maxime arridebant (1).

Plebs non tantum ad avitam religionem redierat, verum ipsi quoque Philosophi eandem strenue vindicabant.

Cernitur hoc tempore in quamplurimis philoso-

---

(1) Neander, 1 Band, 1 Abth. pag. 4-47. Tzschirner, *Fall des Heidenthums*, pag. 120 sqq.

phandi quidam ardor. Polytheismus crassior paulo ex cultioribus non poterat non quam maxime displicere hinc vel de omni religione dubitabant (1), vel vari ratione talem subtiliorem sibi fingebant Polytheismum qualis ferri poterat.

Plures philosophi, Neo-Platonici imprimis, suis con templationibus mirifice delectati, Polytheismum philo sophis contemplationibus, mysticismo, poësi, eloquen tiâ exornatum, aliis argumentis commendabant et ful ciebant. Nimis hi suis ipsorum placitis superbiebant quam ut haec sua ingenii et phantasiae monumenta falsa pronunciarent et unum Christianorum Deum fide reciperent; hinc non tantum Deorum cultum et fundamenta, quibus niti credebatur, defendere, verum Christianos, ob ipsum desertum Deorum cultum, impios habendos, fundamentaque, quibus suum unius Dei cultum fundatum dicebant, nullius pretii esse probare conabantur. Hominem quam maxime decere clamitabant, in patria eaque avita persistere religione; quae Christiani bona docerent, jam dudum ante a philosophis dicta esse; libros Christianorum multis nominibus, imprimis quia scriptores sibi non constarent et ob scribendi rationem, ferri non posse; similiaque (2).

---

(1) TZSCHIRNER, *Fall des Heid.*, pag. 86 sqq. Pauci tamen fuisse videntur; cf. idem in *Gesch. der Apol.* pag. 410.

(2) Cf. TZSCHIRNER, *Gesch. der Apol.* pag. 225-261. NEANDER l. l. et pag. 248 sqq. Quae religionis Chr. adversarii deinde scripti religioni Chr. opposuere, eadem jam JUSTINI tempore maximam partem evulgata fuisse, cum ex JUSTINI tum ex aliorum Apologetarum scriptis lucide apparet.

Philosophi, ob defectum religionis, non paucos ubivis nanciscebantur sectatores, qui una cum magistris, placitis suis superbientes, quamdiu meliora non viderent, ubivis Polytheismum stabilire, Christianorum vero unius Dei cultum impium et absurdum ostendere studebant.

Plebs, philosophos res divinas penitus perspicere et longe prae plebe sapere existimans, hos plurimi ducebat. Reverentia, quâ philosophos prosequebantur, major erat, prout antiquitate et nominis celebritate gauderent. Hinc intelligitur, quî poëtas non tantum antiquos, verum philosophos cum illius aevi tum maxime antiquissimos, eorumque clarissimos, Platonem et Aristotelem, sanctâ quadam reverentiâ prosequerentur, eorumque scripta firmissima religionis suae fulcra haberent (1).

Ex his nemo non intelligit, quam arduum esset Justino, Christianos ab impietatis crimine non liberare tantum, verum et plebem et Philosophos de Polytheismi falsitate convincere; eumque singula, quae ab iis objici solebant, profligare oportuisse.

Justinus hoc probe sentiebat; unde quoque in nullius fere argumenti expositione, quod cum plerisque hujus aevi Apologetis commune habet, plura argumenta congessit. Nusquam majore ducitur ardore, quam ubi Polytheismum infringere studet. Quid mirum! de Polytheismi vanitate ejusque origine a malis Daemonibus petendâ, nec minus de religionis Christianae unice

(1) Eisenlohr, l. c. pag. 132.

verae praestantia et Christianorum morum integrit
convictus, hos ob desertum falsum et moribus pe
niciosum Deorum cultum, tanquam maxime impiam h
minum faecem, vexatos et ad rogum usque tractos co
spiciebat. Dei amore flagrans, et homines, ut Chri
sacra amplecterentur, ex animo cupiens, hos, quai
diu Polytheismo addicti manerent, eumque firmis n
crederent argumentis, eo duci non posse perspicieba

Hinc Deorum cultum omni, quâ pollet, doctrinae
ingenii vi, aggreditur, fundamenta, quibus niteretu
omni vi destituens, dubia profligans, objectione
suspiciones tacite vel aperte refutans, omnia deniqu
tollens, quae eos impedire possent, quominus unu
Christianorum Deum fide reciperent et colerent.

Uti ipsae, quas Justinus fovebat, notiones ad ho
istis hominibus probandum maxime ei usui erant
ita quoque sensus religiosus excitatus (1), Polytheism
vacillantis ratio, fluctuans inprimis et dubia philoso
phematum tunc temporis conditio (2); quae tame
omnia inveteratam plebis superstitionem, multorun
incredulitatem, philosophorum aliorumque superbiam
praejudicatas denique contra Christianorum nome
opiniones superare aut vix aut ne vix quidem poterant

Videamus, qua ratione rem suam difficillimam e
gravissimam egerit.

---

(1) Cf. NEANDER, l. c. § 1 in fine.

(2) TZSCHIRNER, *Fall des Heidenthums*, pag. 161 sqq. qu religionis hoc tempore statum docte et eleganter descripsit; cau sas simul addens, quae Deorum cultui stabiliendo prodessent e obessent; dignus qui legatur a pag. 1-164.

Ad probandum Deos Ethnicorum falso Deos haberi, primarium ipsi argumentum est, *quod petitur ex ratione, quâ poëtae Deos proponunt.* Poëtas, cum ob antiquitatem, tum ob poeticas laudes, Ethnici magni ducebant. Etiamsi paulo prudentiores carminibus istis mythos contineri censerent eaque allegorice interpretarentur, tamen vulgus eos fontes considerabat religionis(1).

Hinc Justinus recte ipsos hos poëtas in usum suum adhibet; et ex ratione, quâ Orpheus, Homerus, Hesiodus, Sophocles, Euripides, alii de Diis loquuntur, probat hos Deos esse non posse.

Permulta affert loca, ex quibus eos natos esse patet, idque alium ex alio (quod argumentum omnino egregie lectum erat, quum suos Deos, qualescunque tandem, ἀεὶ γένοντας jactarent) (2); item turpissimis moribus deditos, injustos, iniquos, mendaces, lubidinosos, crudeles, victu indigentes, sese invicem debellantes, quin omnis, quod inter homines locum obtineret, mali incitatores et auctores: talem non tantum esse semi-Deos et heroes, verum summum quoque Jovem, quorum pessima facinora gaudio quodam accumulat. Ex quibus denique recte concludit, hos longe hominibus esse inferiores (3).

In toto hoc argumento ardore quodam corripitur.

---

(1) Cf. H. N. VAN TEUTEM, *De allegorica apud Antiquos fabularum interpretatione;* item P. HOFSTEDE DE GROOT, *De Clemente Alexandrino Philosopho Christiano*, pag. 31.

(2) ARNOBIUS *Adversus Gentes*, L. 3, Cap. 9, satirice hoc irrisit.

(3) Cf. *Oratio ad Gr.* Cap. 2 et 3. *Cohort.* 2, 3. *de Monarch.* 5.

Sensum hominum moralem, qui non poterat non talia improbare, excitare voluit, atque sic efficere, ut Ethnicos suae ipsorum puderet stultitiae. Poëtarum scripta quum antea lectitasset, non poterat non odium Polytheismi, quod in omnibus hujus aevi Christianis cernitur, ipsi permulta loca suggerere: studio talia plerumque loca selegisse videtur, in quibus poëtae Deos omnis honesti oblitos proponunt. Citat tamen multa loca, quae hodie non in poëtarum, quibus tribuit, scriptis reperiuntur, nec facile eorum esse possunt; id quod tamen Justino vitio vix verti potest, quum his temporibus disquisitiones criticae minus institui solerent. Nunc joco et sarcasmo, nunc irrisione et indignatione plenus, copiose hoc argumentum exponit, etiam tum ubi aliud quid agit (1), adeo ut indignationem supprimere non potuisse videatur.

Licet Justinus hîc poëtice ficta, ab ipsis Ethnicis jam dudum irrisa et explosa, pro argumentis afferat, non tamen crediderim hoc argumentum frustra ab eo fuisse exhibitum. Plebs enim historicam illam et allegoricam Philosophorum interpretationem capere non poterat; Deos cognoscebat, quales apud poëtas proponerentur: nisi Justinus plebem hac superstitione occupatam novisset, valde dubito, an hoc argumentum tam fuse et accurate exposuisset. Non satagit tamen ex ratione, quâ poëtae de Diis loquuntur, stultum et impium probare, tales pro Diis agnoscere; verum callide ipsam suam sententiam confirmat ipsorum poëtarum, Euripi-

(1) Cf. *de Monarch.* Cap. 5. in med.

dis maxime, testimoniis (1); quae tamen non id dicunt, quod Justinus opinatur (2).

Uti stultum esse probaverat, tales pro Diis agnoscere, ita haud minus *simulacra* (3), in quibus Dii, veluti corporibus suis inclusi, habitare credebantur (4) *divino honore prosequi*, *homine indignum* esse, ex eo demonstrat, quod homines imagines colerent ligneas, inanimatas easque ab artificibus confectas omni pravitati deditis; Justinus hîc plebem tantum ante oculos habere potuit, quum paulo prudentiores cultum statuis exhibitum non ad simulacra sed ad ipsos Deos referri dicerent (5). Ingeniose hinc at haud sine bile ipsum illum simulacrorum cultum contendit Diis ipsis maxime esse dedecori, quippe qui sic rebus corruptioni obnoxiis proponerentur, ipsique non tantum curâ sed custodiâ quoque egentes (6).

Nec hic subsistit. Quid tales pro Diis agnoscere eosque colere in hominum animos habeat efficacitatis, vividis coloribus depingit; res turpes afferens, quarum ipsi gentiles testes erant oculati, quasque inficias ire nullo modo poterant. Polytheismus, quo omnia, quae homini magna videbantur, etiam quae moribus erant perniciosa, ad Deorum numerum referebantur, non poterat non omnem sanctitatis notionem in hominum animis delere. Ex veterum scriptis, quam pernicio-

(1) *De Monarch.* 1.

(2) Praeter haec argumenta, ATHENAGORAS, *Legat.* Cap. 8 suum λογισμὸν τῆς πίστεως, TERTULLIANUS saepius suum *testimonium animae* urgere solent.

(3) *Apol.* I. 9.

(4) Cf. ARNOBIUS, *Adversus Gentes*, L. VI. Cap. 19-23.

(5) Cf. TZSCHIRNER, *Gesch. der Apol.* pag. 392.

(6) Copiosus hic ARNOBIUS *Adv. Gentes*, L. VI. Cap, 8-13.

sam vim in mores hicce Deorum cultus haberet, constat; alebatur maxime festis, quae omni libidini ansam dabant. Justinus ipsa haec *festa* in Deorum honorem habita, in quibus scelera Deorum referuntur, iis apte objicit (1). Quî in his luxus, tibiae, unguenta, coronae, pudoris pernicies et flagitiorum irritamenta, vigeant, indignationis quodam sensû, monstrat. Quicunque hîc reputaverit, severiorem tunc temporis morum doctrinam inter Christianos regnasse, et Christianos, morum pravitatis falso reos habitos, a pessimis Ethnicis vexatos fuisse, facile intelliget Justinum in hoc argumento exponendo, nobili quadam indignatione ductum, modum facile excessisse. — Deorum facta et festa in eorum honorem habita quum exhibuisset, quid talis religio valeat, ex iis ironice ita quaerit: *τί ἀγανακτεῖς Ἕλλην ὤν, πρὸς τὸ τέκνον σοῦ, εἰ τὸν Δία μιμούμενος ἐπιβουλεύει σοὶ καὶ σοῦ τὸν γάμον σεσύληκε; τί τοῦτον ἐχθρὸν ἡγῇ τόν τε ὅμοιον αὐτῷ σέβῃ; τί δὲ μέμφῃ σοῦ τὴν γυναῖκα ἀκολάστως ζῶσαν, τήν τε Ἀφροδίτην ναοῖς τετίμηκας;* (2).

Ex his quisque intelligit, Justinum talia argumenta in medium protulisse, quae quemvis sanae mentis, et cui non omnis veri et decori sensus deësset, docere deberent, stultum, absurdum, imo quam maxime impium esse tales Deos agnoscere et colere; adeo ut tacite impietatis crimen in ipsos religionis Chr. adversarios retorserit.

---

(1) *Oratio* 3, 4.

(2) *Apol.* I. 20. Cf. A. THOLUCK, *über das Wesen und den sittlichen Einfluss des Heidenthums*, in NEANDRI *Denkwürdigkeiten*, Tom. I.

Quo magis vero Christianorum sapientiam, quod tales Deos nec agnoscerent nec colerent, Ethnicorum contra stultitiam et impietatem in luce collocet, apte *Dei unius Christianorum cultum opponit* (1); quippe quos talem Deum agnoscere et colere ostendit, qualem ratio exculta non potest non quam maxime approbare. In Dei unitate, ut facile intelligitur, demonstranda maxime copiosus est: ad hanc probandam, argumentum petiit ex rerum natura, in qua omnia eo ordine sunt disposita, ut unum omnium auctorem esse clament; quod tamen argumentum, ut Justinus saepius facere solet, verbo tantum attigit, festinans quasi ad argumentum suum ex ipsis, quos Ethnici habebant, religionis fontibus evincendum, de quibus mox videbimus. Ubi de Christianorum Deo agit, non tantum unum esse probat, verum etiam omnium rerum creatorem, gubernatorem, ineffabili nomine, formâ et δόξῃ, invisibilem, justum, omniscium, cui omnia serviunt, non victimis nec libationibus, sed pura ac religiosa mente colendum, eos, qui virtutes suas divinas imitari student, quam maxime diligentem. Ita plerumque, quomagis adversariorum mentem pungat, de Summo Numine, post turpissima Jovis facinora haud sine irrisione proposita, loquitur; de industria tales Dei virtutes exhibens, quae, naturae Divinae maxime congruae, cum a sana ratione erant probandae, tum Deorum cultum non poterant non quam maxime labefactare; quum Justinus subliniores de uno eoque summe perfecto Deo

---

(1) *Apol.* I. 10, 13. II. 6, alibi saepius.

notiones concepisset, sacro quodam gaudio hîc ducitur, et facile perspicitur, quomodo Justinus, pro Christianorum tunc temporis communi opinione, plurium Deorum cultum ab auctoribus, ab omni pietate prorsus alienis, repetere potuerit; nempe *a' Daemonibus* (1).

Notum Daemonologiam Christi, et quae post secuta sunt, temporibus altas radices egisse. De origine non hujus loci est disputare (2). Id in universum monitum sit, homines omni tempore, in mali originem inquirentes, genios quosdam sibi finxisse, quos malorum auctores haberent. Post exsilium Babylonicum Judaei Daemonum doctrinam amplificarunt et in systema quoddam redegerunt; quam Daemonologiam varii Christiani, ex Judaeis profecti vel ab iis instituti, deinde varie exornarunt. Justinus hoc cum suo aevo habebat commune (3), unde ubivis in ejus scriptis mirum contra Daemones odium apparet (4). Ortos eos clamat ex impiorum angelorum cum foeminis concubitu, eosque omni nequitiarum genere infames, Deo renitendi studio et generis humani odio Deo resistere, homines ab ejus cultu avertere et ad sacrificia et plurium Deorum cultum miraculis falsis et praestigiis abducere,

---

(1) *Apol.* I. 12. *Cohort.* 21. *Apol.* II. 6.

(2) Vide KLEUKER in versione German. TERTULLIANI *Apologet.* pag. 382 sqq. TZSCHIRNER l. l. pag. 396 sqq.

(3) Cf. MUNSCHER, *Dogmengesch.* 2 Th. pag. 15. item CLAUSEN, *Apologetae Ecclesiae Christianae ante-Theodosiani Platonis ejusque philosophiae arbitri*, pag. 8.

(4) Hinc judices quoque acerbe vocat ἄρχοντας δαιμονιῶντας. *Apol.* II. 1.

omnium, quae inter homines reperiuntur, malorum auctores. Accurate deinde, licet sibi non semper constans, exponit, quî homines, ab initio unius Dei cultui addicti, deinde plures colere inceperint; huc fere ejus ratiocinatio redit (1): ab initio genus humanum σύνεσιν et σωτηρίαν jungens, ab ipso Deo edoctum, unum Deum coluit. Daemones autem, quum hominum salutem ferre non possent, eos unum Deum oblivisci fecerunt et ad εἰδωλοποιΐαν averterunt. — Qua ratione hoc sensim sensimque effecerint, varias rationes affert; quarum origo ex Sacra Scriptura, traditionibus et philosophematibus petenda videtur. — Jam Daemones, sacrificiis et oblationibus maxime delectari soliti, id omni ratione agunt, ut homines in erroribus istis persistant. Hinc eos ferre non possunt, qui homines ad unius Dei cultum reducere velint; unde in Socratem, qui hoc tentasset, Athenienses incitarunt olim, et nunc, quantumpote, omnes contra Christianos incitant (2).

Justinum hoc argumento non tantum cultûs Deorum impietatem probare voluisse putaverim, verum simul novitatis crimen, quod Christianorum religioni objici solebat, labefactare et refutare. — Etiamsi hoc argumentum ex aevi sui ratione proposuerit, atque adeo excusandus sit; nec id eum effecisse crediderim, quod vellet, tamen non omni vi, tunc temporis, destitutum esse dixerim, quum ipsi gentiles, de Dae-

(1) *De Monarch.* 1.
(2) *Apol.* I. 5, 56.

monibus somniari soliti, non prorsus ab hac opinione alieni essent (1).

Laetitiâ quâdam affectus, quasi victoriam de adversariis reportasset, aliud, ut ipsi videbatur, haud minus grave argumentum petit ex eo, *quod ipsi poëtae et philosophi cultum istum plurium Deorum irriserint et condemnxrint, et ad antiquum unius Dei cultum redire praeceperint* (2). Loca quam plurima citat Aeschyli, Sophoclis, Philemonis, Euripidis, Orphei item et Pythagorae, aliorumque, quibus doctrina de uno Deo eoque pura mente colendo doceri variisque rationibus urgeri ipsi videtur; ex quibus pateat, ipsos hos philosophos eos mente captos censuisse, qui plures Deos eosque victimis aut donariis aut festis coli posse putarent, simulacrave in eorum honorem exstruerent. Etsi omnia haec loca non iis tribuenda sunt, quibus Justinus tributa vult, tamen a veteribus Graecis adversarii dicta intelligebant. Quodsi quaeras, an locis illis id insit, quod Justinus iis inesse voluit, putamus, multa loca, licet prima fronte de uno Deo agere videantur, potius intelligenda esse de Jove omnium supremo Numine, quam de vero Deo; haud pauca quoque insunt, quae Pantheismo favent. Justinum tamen piae fraudis crimine absolutum velim; pugnant pro hac nostrâ sententiâ tum alia, tum imprimis citandi et argumentandi ratio, ex qua omnis suspicio, ac si adversariis verba

---

(1) Cf. NEANDER, I B. 1 Abth. ibique citata loca PLUTARCHI *De defectu oraculorum* Cap. 13 sq. inprimis PORPHYRII, quem citat EUSEBIUS in *Praeparatione Euang.* Lib. IV. Cap. 21.

(2) *De Monarch.* 2, 3, 6. *Apolog.* I. 6, 20.

facere voluisset, nobis cadere videtur. Haud pauci ex adversariis fraudem certe non animadverterunt. Est quoque res haud adeo facilis; nam Veteres, Tragici imprimis, nonnumquam tam praeclare de uno Deo, eoque pura et sincera mente colendo, ratiocinantur, ut hoc nomine Christianos fere dixeris; nec alienum me profiteor ab opinione eorum, qui putant Tragicos, Euripidem imprimis, id suis tragoediis obtinere voluisse consilium, ut Graeci, Polytheismi vanitatem perspicientes, Socraticam de Deo doctrinam amplecterentur. Poëtae et Philosophi certe non poterant non in publica religione vera a falsis secernere; de industria obscure, quatenus plebem non offenderent, Deorum cultus vanitatem ostendisse et melius de Deo ejusque colendi ratione docuisse videntur, quamvis numquam ad Dei unius, qualem Christi religio exhibet, notionem pervenerint (1).

Utut sit, argumentum hoc istis temporibus et apud illos homines non potuit non alicujus certe momenti esse; et si non plane eos convicerit, certe movere poterat, et qui fraudem non animadverterent, percellere, quum ipsa illa philosophorum et poëtarum scripta firmissima Polytheismi praesidia existimarent.

Atque his argumentis Justinus jam egregie probaverat, Christianos non impios esse, sed verum eumque antiquissimum Dei cultum habere, contra ipsos genti-

---

(1) Cf. TIEDEMAN, *de Deo Platonis*, pag. 34. V. HEUSDE, *Initia Philosophiae Platonicae*, Vol. II. Parte III. pag. 112 sqq. ROUMAN in Orat. *De historia Philosophiae de Deo*, pag. 38 sq.

les esse impios et stultos, qui Daemonum vi avitae superstitioni addicti manerent; atque adeo, si saperent, Christianorum exemplum sequi oportere. Negatum tamen nolumus Justinum, hîc tantum universe magnâ doctrîna et animi ardore hoc argumentum tractasse; minus vero eo ingenii acumine et argumentorum pondere, quo Athenagoram, Tatianum, Tertullianum, Minucium Felicem et Arnobium Polytheismum profligasse ex scriptis apparet.

Sciebat Justinus Ethnicos nimis praejudicatis teneri opinionibus, quam ut his argumentis eo ducerentur, ut Polytheismi falsitatem agnoscerent eique valedicerent. Philosophorum et veterum poëtarum amore et studio flagrabant Ethnici. Demonstrari iis oportebat, hos religionis fontes haberi non posse. Quantum opus eos abducere a scriptis, quibus ob multas orationis laudes mirifice delectabantur, eaque abjicere et contemnere! pro iis spretorum Judaeorum et Christianorum libros sacros, quos ipsi Christiani non oratoriis nec poëticis virtutibus excellere confitebantur, veros religionis fontes considerare!

Omni ratione adeo poëtarum et Philosophorum auctoritas erat infringenda: Veteris Foederis libros, contra, verum et antiquissimam unius Dei colendi rationem continere, probandum.

Quicumque hîc adversariorum mentem perspiciat, et simul in Christianorum sacros libros calumnias sparsas fuisse meminerit (1), is intelliget, Herculeum Justino

(1) Tzschirner, *Gesch. der Apol.* 235-241.

fuisse laborem, adversariis persuadere, ut, quos majores et ipsi, a teneris inde, tanti aestimaverant, scriptores missos facerent, et ex Judaeorum sacris libris unice saperent.

Hoc consilium ut obtineat, ante probat poëtarum et philosophorum doctrinam incertam, dubiam et ridiculam esse, deinde sibi non constare; his tum Veteris Instrumenti libros opponit, quos divinos tanquam veros religionis fontes adeundos probat, eo quoque usus argumento, quod quae veteres Graecorum poëtae et philosophi bona dixerant, inde mutuati essent.

De singulis videamus.

Plerumque in poëtis et philosophis antiquioribus explodendis versatur; leviter tangit recentiores, qui, Physicorum et Stoicorum more, meliores religioni sensus inferre studerent, et *τὰ μυθολογούμενα* allegoriae ope ad Physiologiam revocarent (1).

Antiquiores illos philosophos et poëtas pessimos esse *θεοσεβείας διδασκάλους* universe probat (2): non tantum opiniones eorum de religione, verum de omnibus quoque aliis rebus ludibrio exponit, quo clarius pateret, si terrestria et sensibilia nescirent, id multo magis de coelestibus valere.

In hujus argumenti expositione ordinem quemdam servat, primum poëtas, deinde philosophos universe,

---

(1) Cf. EISENLOHR in Comm. cit. pag. 145. TATIANUS, ATHENAGORAS, TERTULLIANUS, hoc argumentum uberius tractarunt. JUSTINUS verbo, *de Monarch.* 6.

(2) *Cohort.* 2 sqq.

tum omnium clarissimos Aristotelem et Platonem, (nique oracula petit. Interdum tamen digreditur, f tinans quasi ad probandum divina Mosis et Prophetar scripta unice verae religionis fontes esse.

Poëtarum doctrinam paucis perstringit (1).

Post absurda Deorum et Heroum facta, quae Homero et Hesiodo canuntur, cum magna irrisione p posita, indignabundus addit, se talia nec legere r discere velle, cum, quicunque talia legat, non po non in dies fieri deterior. Quanto poëtarum odio du tus, hoc argumentum tractaret, inde etiam patet, qu eorum scripta *λύσσης καὶ ἀκρασίας μνημεῖα* appellet Homeri carmina *ἀρχὴ καὶ τέλος γύνη* ab eo dicantu

Uberius γνῶσιν et θεοσέβειαν, quae ex Ph losophorum scriptis petatur, haud minus irrisio dignam probat (2).

Ut pateat eos omnes, ne sapientissimis quidem e ceptis, *vana*, *incerta*, *dubia*, *sibi contraria* docuiss placita affert, quae scholae Jonicae et Pythagoricae o nes, a Thalete inde *τὴν φυσικὴν φιλοσοφίαν* excolent philosophi, deinde Aristoteles et Plato maxime, *de r rum principiis*, *animâ*, *Deo*, et *praeceptis moralibu* diversa et sibi contraria protulerint. Singulorum horu placita exhibet, veluti magnam partem apud Pluta chum, Sextum Empiricum et Diogenem Laërtium o currunt; in dissensu probando, horum philosophoru placita ad consilium, quod sibi proposuit, genio s

---

(1) *Coh.* 2 in *Oratione ad Graecos* et libro *de Monarch.* h argumentum uberius exponit.

(2) *Cohort.* 3 et 4 sqq.

indulgens, misere contorquet et temere saepe nugatur. Apte in suam rem ea ipsa placita affert, de quibus philosophi maxime dissentiebant, *de anima* et *rerum principiis*, quae omnes Apologetae, imprimis *Hermias* in *Διασυρμῳ τῶν ἔξω φιλοσόφων*, irridere solebant.

Philosophorum odio plenus, non satis putabat eos ignorantiae accusare, *malis quoque ductos consiliis* contendit, quasi, artificiosa scribendi ratione, lectores seducere et in suas partes rapere tentassent, quod argumentum quam lubricum sit et vanum, non est quod ostendam.

Justinus in hoc argumento exponendo sine dubio rem in nimium auget. Negari quidem nequit, veteres philosophos, ubi de rebus ad veram religionem pertinentibus agunt, fluctuare et haud raro absurda docere verum tamen ipsa illa philosophorum scripta multa continent ingeniosa et egregia, nec prorsus iis, quae in Sacro Codice habentur, contraria (1): uti Philosophorum scripta probant, quam parum homines, sibi relicti, de rebus Divinis cognoscere possint, ita ab altera parte (quod de Platone maxime dictum sit), quatenus ratio humana rite exculta, ad Dei rerumque Divinarum notitiam pervenire possit. Platonis certe doctrina, etsi longe Christi doctrinâ inferior, naturae religionem exhibuit, et hinc ipsi liberaliores Veteris Ecclesiae Theologi Philosophiam praeparationem Euangelii, quod est perfecta

(1) Probarunt hoc VALCK in Diss. Hag. ad annum 1812. V. KAMPEN, *Zedek. Schoonheden*. V. LENNEP, in *Magasijn*, quod edidit V. KAMPEN, II Deel, pag. 295 sqq.

et divina philosophia, nuncuparunt (1). Certe ı merentur tam atro notari carbone, quali Justiı aliique hujus aevi Apologetae, Theophilus maxime Tatianus, eos notarunt. Non tantum in Justino, ver in omnibus Apologetis illud odium cernitur; felle et l pleni Stoicos et Epicureos aggrediuntur; de Platoı quem meliores de Deo, Providentia et animi imm talitate notiones habere negare non poterant, pa mitius loqui solent. (2) Nullam non viam ingrediunt quâ eos omni privent auctoritate. Non tantum phi sophorum doctrinam, verum mores quoque, quantı pote, inique saepe carpunt et ludibrio exponunt, mi tamen validis sive potius nullis argumentis suas c niones fulcientes. Quum odio et praejudicatis dı opinionibus haec scripta legerent, eorumque sent tias non ad principia rationis sed ad Sacri Codicis e exigerent, saepe philosophis tribuunt sententias, de (bus hi ne cogitaverint quidem.

Ut hoc de plerisque Apologetis dici potest, ita (que de Justino, qui, furore quasi abreptus, phil phorum opera appellat *πράγματα πάσης ἀγνοίας ἀπίστης φανέντα πλήρη* (3).

(1) Clemens Alexandrinus (qui in *Protrept.* p. 45 alibi de pı magnifice praedicat) et Origenes. Legantur omnino quae elegant vero scripsit Cl. van Heusde, *de Socratische School*, II D. p. 15

(2) Cf. P. Hofstede de Groot, l. c. pag. 117 sqq. I imprimis Tertullianus, non poterant non melius de Stoicis j Idem pag. 123 sqq.

(3) *Cohort.* 2. Haud minus inique de iis judicant Ar L. II. Cap. 4. Tatianus, *Orat.* pag. 141-142. Theophi *Autol.* Lib. III. pag. 117 sqq. Quominus hic indicemus, busnam Justinus, Platonicam doctrinam exponens, pecc otiumnobis fecit Clausen in opere docto supra citato.

In Platonem maxime et Aristotelem invehit. Nec mirum cui videatur, si ut de Philosophis universe ita de Platone maxime tam perverse judicaverit Justinus. Requiritur enim, ut recte ait Tennemannus, (1) ad Platonem intelligendum, ingenium Platoni immortali affine et cognatum. Quam pauci, quaeso, omni tempore Platonem bene intellexerunt, et de pretio, cum veterum philosophorum scriptis universe tum Platonis singulatim tribuendo, ex aequo judicarunt! An mirum accidet, Justinum, quum ubique in Philosophorum scholis delusus esset, et deinde hominem, si de rebus Divinis rite docere velit, divinitus inspirandum esse, (2) sibi intime persuasisset; quum philosophos istos nimis apud Ethnicos auctoritate valere novisset, quam ut hi illis valedicerent et religioni Christianae nomen darent; an mirum accidet, inquam (3), Justinum, qui scripta philosophorum non ad verum inveniendum sed ad eos refellendos adiret, minus benigne de iis statuisse? Quapropter ex aevo ipsum dijudicandum et pro parte excusandum putamus, praecipue ubi ad consilium attendatur, quo duceretur, quod aliud non erat, quam ut istos Philosophos inter se ita dissentientes et fluctuantes, non ea exhibere, quae homines quaererent, nec adeo verae religionis fontes haberi posse probaret (4).

---

(1) *Systeem*, 1 Th. pag. 154-164.

(2) Clausen, pag. 61.

(3) Cf. Clausen, pag. 5 sqq. Tzschirner, *Gesch. der Apol.* pag. 419 sq.

(4) Ipse hoc saepius in *Cohort.* indicat.

His Philosophis et Poëtis, adeo ludibrio expositis, jam *opponit Mosis et Prophetarum scripta.*

Quod Veteris Foederis libros potius quam Novi Foederis, ut fontes Christianae religionis adeundos commendet et maxime de illorum divinitate probanda laboret, nemini mirum videatur, qui observet, veteres Christianos doctrinam Christi in V. T. libris totam deprehendere sibi visos, eamque argumentis ex eodem Vetere foedere petitis confirmari credidisse. Ipse Justinus horum maxime scriptis de religionis Christianae divina origine et praestantia persuasus erat. Praeterea Novi Foederis scripta nondum uno volumine erant comprehensa, Veteris Foederis contra Hebraice non tantum sed et Graece ubivis exstabant (1). Non vero Justinus nec reliqui Apologetae ad Novi Foederis scripta provocare prorsus supersedent, rarius tamen et minus tanquam ad religionis fontem; et quae Justinus et fere Apologetae ante Origenem omnes ad Scriptorum N. F. divinam originem et ἀξιοπιστίαν probandam afferunt, parvi pretii sunt (2).

Mosis et Prophetarum scripta *Divina* esse, Justinus variis argumentis evincit, id maxime agit, ut his scrip-

---

(1) Cf. EISENLOHR, l. c. pag. 176. STORR, *Doctrinae Christianae pars Theoretica*, p. 10. TZSCHIRNER, *Gesch. der Apol.* p. 96 sq.

(2) Vid. TZSCHIRNER, *Gesch. der Apol.* p. 120 sqq. Non est hujus loci de quaestione, quaenam N. T. scripta Justinus cognoverit et per ἀπομνημονεύματα τῶν Ἀποστόλων significaverit, multis agere. JUSTINUM Euangelium Matthaei, etsi ex alia recensione, cognovisse certum; Marci haud vero absimile; Lucae vero et Joannis an cognoverit, valde dubium videtur. Plura qui cupiat, adeat K. A. CREDNER, *Beiträge zur Einleitung in die Biblischen Schriften*, Tom. I. et D. VAN HEYST, in Dissert. Soc. Hag. mox edend.

tis vitiis, modo in Poëtarum et Philosophorum scriptis perstrictis, jam contrarias laudes inesse evincat.

Sunt (hoc primum ipsi est argumentum) *omnium antiquisima.*

Hoc ab antiquitate petito argumento duplex obtinere voluisse videtur consilium; 1°. ut a religione Christiana novitatis crimen amoveret, atque sic, quem Ethnici suis institutis tribuere solebant, antiquitatis honorem destrueret (1). Non tantum gentiles, verum Christiani quoque antiquitatis magnam habebant reverentiam, unde, quominus gentiles sacra sua desererent, Christianae religionis novitas maxime obstabat. Haud temere adeo Justinus omni studio id agit, ut contrarium probet. Verum et eodem hocce argumento 2°. eos, qui Christianos, quae bona haberent, e scriptoribus Graecis hausisse affirmarent, non refutare tantum poterat, verum et ipsum crimen in adversarios retorquere. Ad horum scriptorum, Mosis maxime, antiquitatem probandam, recte provocat ad illos Graecorum historicos (2), qui Mosem jam Inachi et Ogygis tempore vixisse, eumque omnibus antiquiorem esse legislatoribus scripto consignarunt. Minus bene hîc priorem Diodori locum citat (3); prudentissime vero provocat ad Philonem, quem

(1) Ipse THEOPHILUS ad *Autolycum* pag. 117 ait, se propterea summam Mosis et Prophetarum antiquitatem demonstrare velle, quia credebantur scripta Christianorum esse *πρόσφατα καὶ νεωτερικά*. Conf. ceterum de hoc argumento TZSCHIRNER pag. 99 sqq. et pag. 320 sqq.

(2) *Cohort.* 9 sqq. loca affert ex scriptis, quae hodie maximam partem deperdita sunt, conf. et *Apol.* I. 57.

(3) Ubi *Μνεύην* pro *Μηνᾶν* irrepsit; conf. PRUDENTIUS MARANUS ad *Cohort.* Cap. 14.

cognitum Philosophis iisque in honore habitum fuisse constat. Ac, si hoc nondum sufficeret argumentum, ex ipsa historia Mosem probat omnes Philosophos, historicos, legislatores, longe antiquitate superare, clarissimosque omnium Philosophos, Aristotelem et Platonem, circa Philippi demum tempora exstitisse. Anxie metuens quasi, ut satis evidenti argumento probasset, Mosem e scriptoribus profanis sua haurire non potuisse; contendit ante computationem per Olympiades nil a Graecis conscriptum esse neque conscribi potuisse, quippe quum literas non haberent, quas ex Phoenicia, in Graeciam a Cadmo translatas esse, Graecorum historici memoriae prodiderant. Ne cui inde, quod Mosis et Prophetarum libri Graecâ linguâ exstarent, dubium suboriretur; exponit, (1) quomodo, regnante Ptolemaeo, sub ipsius Dei auspiciis in Graecas literas conversi essent.

Justinus hîc strenue et docte omnino in Mosis et Prophetarum antiquitate probanda prae reliquis Apologetis laborat (2). Studium, ut suam causam omni dubio superiorem esse evinceret, effecisse videtur, ut argumentis validis minus valida adjungeret. Sic ex eo, quod Josephus opus suum inscripserit *Ἰουδαϊκὴν Ἀρχαιολογίαν*, gravissimum pro vetustate petit argumentum? — Quod autem Graecos ait a Cadmo literas accepisse, idque demum post computationem per Olym-

---

(1) In *Cohort.* Cap. 13. *Apol.* I. 38.

(2) Etiam CLEMENS ALEXANDRINUS Lib. I. *Strom.* pag. 302. omni doctrinae apparatu idem probavit. Latini, praeter TERTULLIANUM, hoc minus faciunt.

piades, id forsan ita explicari possit, quod hanc computationem ab Hercule, non vero ab Iphito, qui ludos Olympicos restituisse creditur, repetiverit. Justinum hic fraude egisse minus crediderim; multa afferre solet tanquam firma et certa, quae hodie omnes viri docti jure meritoque rident; uti in his, quae diximus, ex aevo judicandus est, ita quoque, quando fabulam de septuagintavirali versione (1), ab Aristaeo inde propagatam et acceptam, eum narrantem audimus, eamque testimoniis confirmantem, quae ipse Alexandriae audivisset.

Uti hoc argumento praestantiam Mosis prae philosophis et poëtis, antiquitate quippe longe illo inferioribus, probaverat, et calumniam, ac si Moses et Prophetae ex Graecis scriptoribus sua hausissent, egregie profligasset, ita haud minus temere huic ex antiquitate petito argumento aliud superstruit; nimirum aliter fieri non posse, *quin viri, qui in remotissima antiquitate, quum abesset omnis cultura, praeclare de Deo rebusque Divinis docuerant, ab ipso Deo inspirati essent.*

Quum Justinus ante omnia clarissimorum quoque Philosophorum placita incerta et dubia esse novisset, deinde vero nec opinato in Mosis et prophetarum scriptis omnia vera et certa comperisset, aliter fieri non poterat, quin ab ipso Deo edoctos non tantum verum et inspi-

(1) Cf. PAREAU, *Instit. Interpr. V. T.* pag. 72. Sic et TERTULLIANUS *Apol.* C. 18, CLEMENS ALEXANDRINUS *Strom.* L. I. pag. 342. ed. Col.

ratos eos censeret. Haec opinio facile eo confirmabatur, quod Judaei hos scriptores divinitus inspiratos (1) dicerent, et Paulus aliique γραφὴν θεόπνευστον pronunciassent; inspirationem autem illam argumentis non demonstrat, ut nullus Apologetarum ante Origenem; absurde tantum rationem exhibet, quâ locum habuerit; Spiritu Sancto, tanquam plectro citharam, Sacros Scriptores, pios quippe viros, impulsos fuisse, et sic ea divinitus cognovisse, de quibus philosophi maxime inter se certabant; de uno nempe Deo, hominis creatione, animi immortalitate, judicio supremo, verbo, de omnibus, quae homini cognitu essent necessaria (2). Hanc de θεοπνευστίᾳ doctrinam quam maxime urget, eâque fundamento positâ inde concludit, quaecunque Sacri Scriptores scripto consignassent, divinitus esse orta, eorumque dicta, non tanquam humana, sed veluti ἀπὸ κινοῦντος αὐτοὺς λόγου vel πνεύματος προφητικοῦ profecta, consideranda esse.

Quamvis Justinus hoc argumentum, quod cum multis omnis aevi, nostri quoque, commune habet, perverse proponat, nec revelationem ab inspiratione satis distinguat (3); aptum tamen ad Ethnicos convincendos argumentum dici potest, quippe qui Deos res absconditas, futuras imprimis, cum hominibus communicare crederent.

Reverentia, quâ erga Mosem et Prophetas, et odium,

---

(1) JOSEPHUS *contra Apion.* L. 1. 8.

(2) *Cohort.* 10. alibi, conf. et ATHENAGORAS in *Legat.* C. 9.

(3) Cf. A. D. C. TWESTEN, *Vorlesungen über die Dogmatik nach dem Compendium von* W. M. L. DE WETTE, I B. pag. 333 sqq.

quo in Graecorum poëtas et philosophos duceretur, effecisse videntur, ut hoc inspirationis fundamento alia superstrueret, quibus Mosis et Prophetarum divinam auctoritatem confirmare, poëtarum contra et Philosophorum eximie labefactare sibi videretur. Quum nempe ante philosophos, ex eo quod sibi non constarent, et, quo alios irretirent, artificioso dicendi genere usi essent, auctoritate privare tentaverat; ita jam contendit, Sacros Scriptores uno eodemque Spiritu actos, diversissimis licet temporibus et locis quam maxime dissitis, *unum idemque semper docuisse* (1), *et simplici usos fuisse oratione* (2), *ab omni gentilium arrogantia et ostentatione remota; aperte et candide semper loquentes, ut eorum, qui veritatem dicunt, proprium esse solet.*

Uti Philosophis et Poëtis Justinum iniquum esse supra significavimus, ita hîc consensum Sacrorum Scriptorum nimis urget: nam, etiamsi Moses et Prophetae non dissentiant nec sibi obloquantur; tamen consensus ille, qualem Justinus hîc significare videtur, ut ne in minutissimis quidem a se dissentiant, non exstat; quod ad scribendi rationem attinet, recte omnino Sacrorum Scriptorum simplicitas et candor a Justino laudantur, nulla iis inest fraudis seductionisve suspicio; quâ tamen equidem scriptores Graecos quoque absolutos velim, ex quorum scribendi ratione illi tantum, qui praejudicatis ducuntur opinionibus, seductionis consilium elicere

---

(1) *Cohort.* 8. *Apol.* I. 36. *Dialog. cum Tryphone* 7.
(2) Cf. et *Apol.* I. 60 in fine.

possunt. Ipsa haec duo argumenta non demonstrat (1), id quod eo magis opus erat, quum homines, ad quos scriberet, ipsum Sacrum Codicem non adirent, et poëtas suos et philosophos ob ipsam scribendi rationem quam plurimi ducerent. Etsi haec argumenta sunt magni pretii ad Sacri Codicis praestantiam vindicandam, modo diligenter exponantur, tamen auctoritatem Divinam, quam Justinus inde patere putat, non probant.

Praeter haec aliud afferre solet argumentum, quo Mosis et Prophetarum divinam auctoritatem demonstrare conatur, argumentum dico *ex Vaticiniis* petitum, quo mirifice delectari solet (2). Justinus hoc argumentum urgere solet, ita quidem ut Mosem et Prophetas omnes ad minutissima usque de Jesu ejusque regno opinetur praedixisse: deinde de hoc argumento, suo loco, pluribus erit videndum; hìc tantum monemus, Justinum hanc inde facere conclusionem, Mosem et Prophetas haec vaticinia edere non potuisse, nisi divinitus fuissent inspirati, atque adeo, quum vaticinia eventu sint comprobata, iis fidem denegare quam maxime impium esse; quod argumentum ad Ethnicis de Mosis et Prophetarum divina auctoritate persuadendum, erat aptissime lectum, quum et hi oracula et vates cujusque aevi magnopere admirari solerent.

Verbo (3) huic argumento subnectit id, quod e miraculis (*δυνάμεσι*) petitur.

Oraculis putabant veteres suam religionem quam

(1) Quod egregie fecit ORIGENES contra CELSUM, L. VI et VII.

(2) Cf. *Apol.* I. a Cap. 30-58, passim, item in *Dialogo.*

(3) *Dial. cum Tryph.* 7, 8.

maxime confirmari, hinc multi sunt Apologetae in horum falsitate probanda. Justinus ad ipsa illa oracula provocat, ut Mosi et Prophetis divinam auctoritatem conciliet (1), et callide affert responsum aliquod ab Apolline editum, quod ita se habet:

Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίην λάχον ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι,
Αὐτογένητον ἄνακτα σεβαζόμενοι Θεὸν ἁγνῶς (2).

Hoc autem Mosem inprimis spectare, argumento prorsus invalido urget, quod ipsi Graeci scriptores Mosem Chaldaeo vel Hebraeo genere fuisse dixerant; videtur hoc oraculum omnino a Judaeis Alexandrinis fictum fuisse (3).

At vero recte intelligebat Justinus, in Poëtarum et philosophorum, Platonis maxime, scriptis haud pauca egregia haberi; hoc negare nec poterat nec volebat. Noverat praeterea plures hoc tempore philosophos, Platonicos maxime, allegorica et historica sua interpretatione poëtarum mythos ita explicare solere, ut Ethnicorum religioni spiritualem formam et colorem tribuerent, atque ob hoc ipsum magno in honore haberi.

Ut Philosophos hoc quoque nomine auctoritate privet, et Mose ac Prophetis inferiores ostendat, *quaecunque bona in Poëtarum et Philosophorum scriptis*

---

(1) Cf. *Cohort.* 11.

(2) Cf. EUSEBIUS, *Praep. Euang.* Lib. IX. Cap. 10. Vide et de hoc oraculo BIENNLOHR, l. c. pag. 245.

(3) EUSEBIUS in *Praep. Euang.* plura istiusmodi affert. Allatis argumentis reliqui, TERTULLIANUS et ORIGENES maxime, argumentum, ex Sacrorum Scriptorum vitae integritate ductum, addere solent.

reperirentur, haec eos a Mose et Prophetis mutuatos esse, demonstrat (1).

Jam antea Judaei Alexandrini, Philo maxime et Aristobulus, ne Graecorum philosophia suis esset offensioni, Graecos Philosophos, Platonem maxime, Mosem illum *'Αττικίζοντα*, ex Aegyptiorum et Hebraeorum scriptis edoctos, multa inde in sua scripta contulisse bona contenderant. Hoc facile accipiebatur, quum veteribus Aegyptiorum et Chaldeorum sapientia maxime de rebus religionem spectantibus valde celebrata esset; hinc Graeca philosophia Judaicae filia habebatur (2). — Justinus, hominem nil fere proprio marte recte de rebus divinis cognoscere posse probe sciens, facile, ut omnes fere hujus aevi Apologetae, hanc sententiam amplectebatur, quo facilius philosophorum auctoritatem infringeret, et Christianos sua non e profanis hausisse evinceret. Semel hac recepta opinione, aliae subinde suboriebantur difficultates; quidni enim philosophi puram religionis doctrinam exhibuissent? Quid causae, quod tam multa absurda, falsa et verae religioni plane contraria in eorum scriptis deprehendantur? Haec et similia ut solverent, praesto erat, praeter doctrinam de *λόγῳ σπερματικῷ* (3), Daemonologia. Homines, de certamine lucem inter et tenebras semper somniantes, facile sibi persuadebant, poëtas

(1) *Cohort.* 20-24 sqq.

(2) Cf. MUENSCHER, *Dogmen-Gesch.* Th. I. p. 150 sq. TZSCHIRNER, pag. 416.

(3) Hanc alio consilio a Justino adhiberi supra significavimus, pag. 10 et 11.

istos et philosophos Daemonum instinctu, quae ex Mosis et Prophetarum scriptis cognovissent, misere corrupisse atque depravasse, libidine gloriae nonnulla ad suum ingenium exposuisse, alia metu tacuisse.

Justinus, his opinionibus imbutus, argumentum hoc copiose exponit, ex Homero et Platone, quos, teste Diodoro, in Aegyptum iter suscepisse sedulo probat, testimonia petens.

Convenientiam istam, multo quidem ingenii acumine et magnâ doctrinâ, ad minutissima usque trahit, res non tantum sed verba quoque a Mosis et Prophetarum scriptis desumta esse contendens. Sic, ut unum alterumque exemplum afferam, Homerus e Geneseos libro creationem mundi in Clypeo Achillis, paradisum in hortis Alcinoi delineasset, constructionem turris Babylonicae, quum Pelion Ossae superadditum caneret: sic Plato doctrinam de inspiratione, de trinitate, de judicio supremo, de resurrectione, similiaque e Veteris Foederis libris mutuatus esset; quod tamen Atheniensium metu tacuisset. Eodem metu ductus alia obscure, alia clare, figurate et symbolice alia proposuisset; aliis saepe verbis, aliis imaginibus usus. Hinc explicandum quoque sit, quod philosophi et poëtae, meliora a Mose et Prophetis edocti, iis quae ante dixerant, deinde plane contraria docuerint.

Non lubet ridicula istiusmodi hîc ulterius persequi. Vix opus est monere, Justinum multa poëtarum et philosophorum dicta misere contorsisse, et sine ulla probandi vi ad ea, quae in Veteris Foederis locis habentur, accommodasse; ubivis illud furtum deprehendere sibi

videtur, quod ut probet, undique argumenta, absurdissima quoque, anxie affert. Quin ipsi, qui furtum commisserant, hoc indicassent; sic Plato verbis *ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος*, indicaverit, se ex Mosis scriptis sua mutuatum esse.

Quod Justinus huic argumento multum pretium statuerit, facile intelligitur. Nostro aevo nullius prorsus pretii, omni probandi vi destitutum est; nam convenientia illa, quae alicubi deprehenditur, quam prorsus negare nolumus, potius ex traditionibus petenda videtur (1).

Ne offensioni eis esset (2), *Mosis et Prophetarum libros ad Judaeos pertinere*, argute ita iis occurrit, Providentiâ Divina factum esse, ut hi libri apud Judaeos servarentur, ne quis Christianos *ῥαδιουργίας*, i. e. suppositionis vel corruptionis, accusaret (3).

Atque his quidem argumentis Christianos defendit, Ethnicisque, ut, Christianorum exemplo, Deorum cultum deserant, persuadere conatur. Negari nequit Justinum ex sui aevi indole rem suam strenue egisse. Docte et sacro ardore Christianos ab impietatis crimine defendit, ipsos contra Ethnicos impios esse probat; hinc eos jure Atheismi crimine prorsus absolutos cupit. Concedit Christianos Atheos esse (4), si cum Deorum istis cultoribus conferantur; verum simul haud sine ironia et irrisione addit, Christianos Atheos nuncupari malle, quam

(1) Cf. CORNEN in Comm. *de Tertulliano Apologeta*, pag. 76; in *Annalibus Acad. Rheno-Traj.* 1823-1824.

(2) *Cohort.* 14.

(3) Sic verbo tantum authentiam et integritatem defendit.

(4) *Apol.* I. 25, 26. legatur ibi THIRLBII annotatio. Christianos haud atheos esse omnium maxime probat ATHENAGORAS.

turpi isti Deorum cultui adhaerere! Ethnici, nisi injusti et iniqui Christianis esse velint, ut hos certe tolerent, summo jure a judicibus postulat; quem in finem merito iis in memoriam revocat, non omnibus locis eosdem Deos coli, atque adeo totum Christianorum crimen in eo tantum constare, quod non eosdem, quos judices, Deo colant; quod tamen crimen, si sit crimen, cum multis haberent commune. Quo magis summae injustitiae judices convincat, objicit iis eorum agendi rationem cum Haereticis et Philosophis, Atheismi crimine vix absolvendis; cum indignatione, quî Ethnici Simonem, Menandrum, Marcionem (1), quos impios et scelestissimos probat, non tantum tolerassent, sed divino quoque honore prosecuti essent, demonstrat; post quae, sacro ardore abreptus, ex judicibus quaerit, an Christianis solis, optimum cultum habentibus, id non liceat, quod reliquis, turpissimo cultui et morum licentiae deditis, concedunt! Quae argumentandi ratio, ut recte sese habet, ita judicibus, nisi obstinata mente aures omni veritati clausas habuerint, assensum extorquere debuit (2).

Haud minus magnus, ubi Polytheïsmum aggreditur; omnes vires et nervos intendit, ut gentiles sacris suis valedicant. Argumenta undique conquirit, dubia et suspiciones aufert; ex ipsis eorum fontibus persuadere et refutare conatur. Si Justinus argumenta minus va-

(1) Vide MUNTER, *Dogmen Gesch.* 1 Th. p. 101. 2 Th. p. 82 sqq.

(2) Observetur, JUSTINUM multis aliis etiam nominibus Christianos defendisse et commendasse, ante quam eos Atheismi (latiore sensu) crimine absolutos cupit. *Apol.* I. 6 seqq.

lida, imo quae hodie ridicula videntur, proferat, cum ex aevi sui ratione excusari meretur, tum imprimis ex nobili, quod ubivis elucet, alios ad verum Dei cultum ducendi studio; hoc ut obtineat, nullam non ingreditur viam, minatur, suaviatur, ad Ethnicorum ingenium disputat et argumenta accommodat. Consilium illud maxime pateat cum ex admonitionibus in mediis Apologiis, tum inprimis ex perorationibus, quibus tria opuscula, hoc uno consilio scripta, claudit; quarum una, quae libro de Monarchia finem imponit, ita sese habet: *ἀσπάζεσθαί τε χρὴ τὸ ἀλήθινὸν καὶ ἄτρεπτον ὄνομα, οὐχὶ διὰ τῆς ἐμῆς φωνῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ διὰ τῶν εἰσαγαγόντων ἡμᾶς εἰς τὴν ἀρχὴν τῆς παιδείας κηρυσσόμενον, ἵνα μὴ ἀργῶς τελειώσαντες τὸν ἐνταῦθα τοῦ ζῆν χρόνον, οὐ μόνον ὡς ἀγνῶτες τῆς οὐρανίης δόξης, ἀλλὰ καὶ ὡς ἀχάριστοι τῷ κριτῇ τὰς εὐθύνας παρέξωμεν.*

§ 2.

Christiani nec ob reliquam suam professionem spernendi, sed magnopere laudandi, quippe quâ Divinitus ortâ, omnium antiquissimâ, perfectamque constituente philosophiam, homines, quid verum, justum et honestum sit, eximie discunt. Ob stultitiam contra ipsi gentiles vituperandi, qui philosophiae imperfectae et a Daemonibus misere corruptae addicti manent; pro quâ adeo Christianorum professionem amplectantur, quam maxime oportet.

Justinus ad utrumque, quod sibi proposuerat, consilium obtinendum praecipuum jam peregerat. Gravis-

simum enim, quod Christianis objici solebat, crimen, ex quo reliquae facile oriebantur calumniae, falsum esse, eosque religionem eamque ex vero fonte petitam habere, egregie demonstraverat. Ethnicis Deorum cultu falso probato, et fundamentis, quibus niti credebatur, vi sua privatis; scrupulum, quod eos impediebat, quominus sacra Christiana reciperent, omnium molestissimum exemerat. His viam sibi straverat cum, quâ Christianos ulterius defenderet, tum, quâ gentilibus Christi doctrinam commendaret.

Ad reliquam Christianorum doctrinam exponendam, probandam et defendendam, Justinum impellebant calumniae, quas Ethnici, Christianorum doctrinam ignorantes, his objicere solebant. Christiani enim ob desertum Deorum cultum non impii tantum habebantur, verum etiam superstitiosi et dementes, quod Judaeum, nec philosophiâ nec generis nobilitate insignem, sed cruci affixum, Dei instar colerent, ejusque doctrinam divinam esse gloriarentur. Praeterea fanatici et hominum Imperiique saluti periculosi, quia doctrina Christiana omnis mali fons esse pervulgaretur (1).

Philosophi quoque, ob causas supra indicatas, religionem Christianam *novam superstitionem* et *meris praesumtionibus plenam* (2) probare conabantur. Hi religionem Christi non eo quidem acumine petebant, quo deinde Celsus aliique eam petiverunt; plerarumque tamen difficultatum, quae deinde acutius, uberius et acrius

(1) Tzschirner, *Gesch. der Apol.* pag. 205 sqq. Neander, l. c. 1 B. 1 Abth. pag. 127.

(2) Tertullianus, *Apolog.* 49.

a Philosophis objici solebant, jam nunc initia et semina quasi extitisse, ex Justini aliorumque Apologetarum scriptis luce clarius patet; sic placita de Jesu divina naturâ ejusque probationi inservientia argumenta, placita item de aeternis poenis, resurrectione, alia, aggrediebantur.

Haereticorum denique doctrina cum γνησίων Christianorum doctrina permutari solebat (1).

Uti haec Justinum ad ipsam Christianorum doctrinam exponendam et defendendam incitabant, ita quoque alia, quibus alterum suum, priori subnexum, consequeretur consilium; ut nimirum Ethnici, de religionis Christianae divina origine, praestantiâ et perfectione, de suae ipsorum contra religionis doctrinae falsitate et imperfectione convicti, illam cum hac commutarent.

Hoc autem ut obtineret, omnes vires et nervos intendere debebat. Res enim ipsi erat cum hominibus, qui non tantum religionem Christianam ob originem et placita, quae famâ audiverant, spernebant; verum etiam, qui vel avitae superstitioni toto animo addicti, a Dei cultu spirituali prorsus erant alieni, vel de omni religione dubitantes, omnia quae ad excitandum sensum religiosum valerent, ridere solebant.

His religionem commendare debebat, quae invisum non tantum illud de uno Deo placitum doceret, verum etiam, quae a rebus terrestribus externis

(1) Apologetae hoc saepe disertis verbis indicant; hinc forsan odium illud internecinum contra Haereticos, apud Apologetas ubivis obvium, explicandum.

sejuncta, omnibus omnino gentibus una (1), hominem Deum πνεύματι et ἀληθείᾳ colere praecipiens, eum ab aris et festis abstraheret; quae omnes, eadem jura et officia habentes, ad unum finem tendere juberet, hominesque non societatis civilis sed regni coelestis cives consideraret.

Talis religio, indole et consilio Ethnicorum opinionibus prorsus contraria (2), a philosophis, magni nominis viris, absurda et ridicula pronunciata, iis commendanda erat!

Duplex ac gravissimum, quo Justinus ducebatur, consilium efficiebat, ut nil sibi nimis arduum putaret.

Uti Justinus in Polytheismo oppugnando et primario religionis Christianae de uno Deo placito vindicando omnino copiosus est, ita in reliqua religionis Christianae professione exponenda et vindicanda, parcus esse animadvertitur; vix omnia religionis Christianae placita affert; nec allata satis validis argumentis vindicat. Ea imprimis exponit et urget, quae ad Christianorum defensionem faciunt; id maxime agens, ut Ethnicis, qui Christianorum doctrinam ignorarent, eam eatenus cognitam redderet, ut hi agnoscere quasi cogerentur, Christianos haud levi de causa suam religionem profiteri divinam, eamque pravos homines vel cives informare non posse.

---

(1) De hoc maxime argumento lege A. THOLUCK, *über das Wesen und den sittlichen Einfluss des Heidenthums*, pag. 193; in NEANDRI *Denkwürdigkeiten*, Tom. I.

(2) NEANDER, *Allgemeine Geschichte der Religion und Kirche*, I B. 1 Abth. pag. 91.

Causa, ob quam singula placita non eâ argumentorum copiâ ac diligentiâ a philosophorum telis vindicet, in eo videtur quaerenda, quia nondum, ut modo significavimus, Christi doctrina tam accurate et acriter ab omni parte a philosophis esset petita. Apologetae hujus aevi universe magis Monotheismum vindicant; Origenes demum ipsa religionis placita omni doctrina et ingenii vi a Celsi et aliorum telis vindicasse dicendus est: quod tamen non ita accipias, ac si Justinus Christiana placita exponere vel ab objectionibus vindicare prorsus supersederit; contrarium mox ex argumentorum expositione patebit.

In hacce reliquâ religionis Christianae professione exponenda et vindicanda animadvertitur Justini animus mirifice ob Christi doctrinae praestantiam commotus, indignatus simul quod gentiles Christianos, tam praeclaram religionis doctrinam, omnis veri et honesti fontem profitentes, persequerentur et ne tolerarent quidem; ardens simul studium, ut Ethnici, hanc salutarem doctrinam toto animo amplexi, eâ beati essent atque felices. Hinc in Christianorum placitis vindicandis non tantum ad Jesu et Prophetarum auctoritatem provocat, argumentaque ex ratione petita affert, verum etiam, quo magis eos ad Christi Sacra alliciat, veri et honesti sensum incitat; Christique doctrinam tanquam philosophiae perfectionem proponit.

Haec universe praefati ad ipsam argumentorum expositionem transimus.

Christiani Jesum Christum haud temere Dei instar habent ejusque doctrinam divinitus ortam.

Ne Christiani, religionem suam a Jesu, quem Dei instar colebant, repetentes, eamque divinam dicentes, superstitiosi et dementes haberentur (1), Justinus religionis Christianae divinam originem cum *ex fonte*, unde haurienda et confirmanda est, tum *ex ipsa Divina Jesu Christi persona* probat.

Supra jam (2) argumenta vidimus, quibus Mosis et Prophetarum scripta, quae ut veros religionis fontes adeundos urget, cum divinae originis tum summae antiquitatis esse evincere studebat.

Hoc pro religionis Christianae origine Divina et antiquitate argumentum hic repetere non opus est.

Transimus ad alterum, quo idem probatum cupit; idque *ab ipsa Jesu Christi persona deductum*.

Uti difficile fuerat gentilibus persuadere verum et divinum religionis fontem non in philosophorum poëtarumve, sed in Mosis et Prophetarum scriptis quaeri oportere, ita haud minus arduum erat, religionis Christianae conditorem iis ita commendare, ut omnis, quo eum non tantum legatum divinum, verum et Deum agnoscere impedirentur, scrupulus eorum animis eximeretur.

Hominem Judaeum barbarum, cruci affixum, religionis verae conditorem profiteri, eumque divino honore prosequi, quam ridiculum! qualis *μανία!* (3). Nullum placitum magis offensioni fuisse patet cum ex scriptis Apologetarum tum ex objectionibus eorum,

(1) Vidd. KORTHOLT, *Paganus obtrectator*, pag. 341 sq. FLÜGGE, *Gesch. der Theol. Wissensch.*, Th. 1, pag. 80.
(2) Pag. 48 sqq.
(3) *Apol.* I. 13.

qui Christianam doctrinam aggrederentur, Celsi maxime, Hieroclis aliorum, quatenus ex libris, quos Origenes contra Celsum scripsit, conjicere licet. — Justinus ipse hujus rei difficultatem sensisse videtur, cum in Apologia prima (1) hoc argumentum inceptum non exponere pergit, nisi postquam Jesu Christi doctrinam moralem ejusque in hominum animos, vim et efficacitatem egregie exposuisset, lectoresque sic praeparatos quasi et benevolos reddidisset, hortatus simul ne a Daemonibus se occoecari paterentur (2). Ab altera parte recte Justinus sentiebat, omnem religionis Christianae Divinam auctoritatem maxime a personae Jesu dignitate pendere, adeo quidem, ut persensisse videatur, quanto excellentior huic auctoritas et religioni suae origo tribueretur, tanto majorem eidem conciliari fidem, tanto majus pretium.

Habet praeterea Jesu historia multa peculiaria. Ab initio ad finem est unum quasi miraculum. Omnia extra consuetum rerum ordinem vagantur.

Varii varie omni tempore singula explicare voluere, obliti eheu! ex Sacro Codice unice sapiendum, omniaque, quae de Jesu dicuntur, Divina Sacri Codicis auctoritate cum fide esse recipienda!

Justinus, philosophiâ et Sacro Codice ducibus, hanc de Jesu Christo doctrinam explicare, vindicare et commendare conatur; argumenta tamen, Jesu divinitatem et ejus tanquam doctoris divini dignitatem probantia,

(1) Cap. 13.
(2) *Apol.* I. 14 sqq.

parum distinguit et haud raro commiscet, ita quidem ut nescias utrius probationi ab eo allata argumenta inserviant (1).

Philosophorum de λόγῳ doctrinam in suum usum adhibuit, quâ viâ, adversariorum ingenio attemperatâ et perquam accommodatâ, ingressus, cum omnia, quae Ethnicos impediebant, quominus Jesum divinitus ortum et missum agnoscerent, solvere, tum ipsam Christianorum religionem Divinam et omnium antiquissimam evincere se posse putabat.

Philosophi plures doctrinam Platonis de λόγῳ tanquam Dei intelligentia, perfectas rerum ideas continente, pro philosophorum Orientalium more, allegorice interpretari soliti, λόγον finxerant Naturam quandam Deo proximam. Philo Judaeus, Vetus Testamentum allegorice interpretari et cum Platonis Philosophia jungere solitus, hanc doctrinam de λόγῳ maxime exornaverat et amplificaverat. *Intelligentiae* et *verbi Divini* notionem uno complexus τοῦ λόγου vocabulo, per prosopopoeiam hunc λόγον Dei imaginem, mundi ordinatorem, patris filium primogenitum (2) appellaverat.

---

(1) Cf. EISENLOHR p. 166.

(2) *Λόγος* Philoni nil esse videtur quam *Dei proprietas*, sive *sapientia Divina*: quum tamen plerumque de eo tumide, audacter et per prosopopoeiam loqueretur, factum, ut Patres Ecclesiae et multi quoque serioris aevi existimaverint, Philonem putasse τὸν λόγον Dei proprietatem mansisse usque ad tempus mundi conditi, tum vero ex illa factum esse substantiam. Cf. HOFSTEDE DE GROOT, *De Clemente Alexandrino Philosopho Christiano*, pag. 48 sq. et 53 sqq.

Haec de λόγῳ doctrina apud plures hoc tempore, maxime Platonis sectatores, invaluerat. Justinus, e Platonis schola profectus, eam facile amplexus, ad consilium modo indicatum adhibet, idque iisdem fere dictionibus, quae philosophorum usu tritae erant. — Hinc Jesum Christum eundem esse docet Ethnicos, quem τοῦ λόγου nomine intelligerent, non Judaeum ignobilem, verum Dei κυρίως υἱὸν, τὸν λόγον πρὸ τῶν ποιημάτων καὶ συνόντα καὶ γεννώμενον, ὅτε τὴν ἀρχὴν δι' αὐτοῦ πάντα ἔκτισε καὶ ἐκόσμησε (1); quo, quum ipsa ratio et intellectus in eo esset, Deus nullo tempore carere potuit; quoque in rebus omnibus cogitandis, moliendis et exornandis usus est (2). Ille λόγος arcte cum Deo junctus, et ex vero, cum ob naturam tum ob opera ante ἐπιφανείαν, Dei filius dicendus et habendus (3). Jam antea, quum esset ὁ ἐν πάντι ὢν, in forma ignis vel in imagine rerum incorporearum apparuit, et cum Mose, (quod Judaei, perverse ipsum Deum fuisse putantes, non intellexerant,) collocutus est, et per Prophetas futura praedixit (4). Tandem vero κατὰ βουλὴν τοῦ θεοῦ μορφωθεὶς, homo factus est, ex virgine ἄνευ ἐπιμιξίας natus, atque sic τὸ λογικὸν τὸ ὅλον καὶ σῶμα καὶ λόγον καὶ ψυχὴν apparuit, et Jesus Christus dictus est (5).

---

(1) *Apol.* II. 6.

(2) Ex Dialogo cum Tryphone 61 inprimis patet, Justinum, cum multis aliis hujus aevi Apologetis, putasse, postquam λόγος factus sit substantia, alium etiam exstare λόγον, qui maneat Dei proprietas.

(3) *Apol.* II. 11.

(4) *Apol.* I. 63.

(5) *Apol.* I. 5. II. 10.

Consilium, quo ille λόγος caro factus sit, inprimis fuit ἐπὶ καταλύσει τῶν δαιμόνων (1), qui ipsius regno omni ratione sese opponerent, atque adeo ἐπ' ἀλλαγῇ καὶ ἐπαναγωγῇ (2) generis humani, idque speciatim fidelium, quos Deus antea eo destinaverat et elegerat, ut λόγος eum his omnem γνῶσιν rerum divinarum communicaret, Daemonum fraudes iis detegeret, atque sic, totius λόγου participes, a Daemonum vi liberati, omnis veri, justi et honesti gnari, perfecti evaderent philosophi et in aeternum essent beati et felices (3). In hunc quoque finem in eorumdem emolumentum se ἐξουθενηθῆναι passus est, ut mortem subiens et e mortuis resurgens victoriam de morte reportaret (4).

Justinus hîc Sacri Codicis doctrinam ad Philosophorum de λόγῳ placitum attemperat. Ubivis id maxime agere apparet, ut, infamiâ a Jesu persona depulsâ, summam ipsi tribuat dignitatem; hinc ipsi Divinam tribuit originem, summos honores, splendidissima nomina (5). Haec ratio, multis ceteroquin nominibus improbanda, optima certe fuit, quâ Ethnicis Jesu Christi personam ut divinam commendaret, et Christianos, quod eum Dei instar colerent, a superstitionis et dementiae crimine defenderet.

Justinus vero non in nuda expositione subsistit; argumenta quoque affert, quibus hanc Christianorum de

(1) *Apol.* II. 6.
(2) *Apol.* I. 23. II. 6, 7.
(3) *Apol.* II. 8.
(4) *Apol.* I. 13.
(5) Praeter dicta, ἀπόστολος, ἄγγελος. *Apol.* I. 12, 18.

Jesu Dei filio doctrinam tueatur et vindicet: eaque ex vaticiniis, miraculis et ipsius Jesu doctrinae praestantia petita.

De singulis videamus; Ab argumento *ex miraculis* petito initium ducentes.

Ad hoc argumentum verbo tantum et in transitu quasi provocat, nec id demonstrat. Universe ait, Jesum (1) et ipsius auctoritate Apostolos (2) fecisse miracula, item sui aevi Christianos, quippe qui Jesu nomine δαιμονιολήπτους, quos nemo ante sanare potuerat, plane curassent; ex quibus aperte sequi contendit, Jesum Dei esse filium eumque ἐπὶ καταλύσει τῶν δαιμόνων venisse (3). Ad haec ab ipsis Christianis patrata miracula, quae pro miraculis habebantur (4), tanquam notiora provocasse videtur, eisque aliquam vim tribuit.

Mirum forsan cui videbitur, quod Justinus hoc egregium argumentum tam misere tractaverit; quum constet non Gentiles tantum, verum et Christianos, ut ex libris Apocryphis abunde patet, maxime miraculis delectatos fuisse; deinde plures exstitisse, qui miracula, ad quae Christiani provocabant, omni vi privare conarentur (5); denique, quum ipse Justinus Jesum Dei filium probare aggrediatur, ad calumnias eorum profli-

(1) Ipsa miracula affert, non adeo ad divinam Jesu missionem probandam, quam quidem ad indicandum, quae Jesaias LIII. 1-7: praedixerat, eventu comprobata esse. *Apol.* I. 30. II. 6. *Dialog.* 69.

(2) *Apol.* I. 39. Apostolorum miracula unus Justinus memorat.

(3) *Apol.* II. 6.

(4) Cf. SCHROEKH, *Christl. Kircheng.*, Th. VI. p. 382 sq.

(5) Cf. LACTANTIUS, *Instit.* L. V. 2. *De mortibus persecutorum* 16.

gandas, qui Jesum magica arte miracula fecisse, et falso hinc Dei filium nuncupatum esse, dicerent (1); quo adeo ansa ipsi praeberetur, qua argumentum hoc fuse et evidenter exponeret et demonstraret. Quominus vero Justinus hoc faceret, obstabant tum temporis receptae opiniones. Christiani enim, haud minus quam Ethnici, putabant homines sibi Daemones in potestatem redigere, et horum ope magicâ arte miracula patrare posse (2); hinc Apologetae, sine Deo miracula fieri posse opinati atque adeo ipsi parum huic argumento pretii tribuentes, verbo tantum ad miracula, Hippolyto (3) excepto, provocant; ipsi Ethnici haud negabant Jesum miracula fecisse, magica vero arte eadem patrata contendebant; non adeo tam acriter et sedulo, ut deinde Celsus, miracula, quâ miracula, argumentorum copiâ debilitasse videntur. Argumentum e miraculis petitum tum demum argumenti vim habere poterat, si Apologetae probare possent, miracula a Jesu ejusque legatis facta vera miraculi indicia habere, eaque, quae a magis patrata dicerentur, omnino falsa esse: verum hoc nec Justinus nec reliqui ante Origenem et Arnobium Apologetae satis perspexisse videntur.

Morae quasi impatiens (4), ad argumentum *ex vaticiniis* ductum festinat, ipsa vaticinia ad fidem mira-

---

(1) *Apol.* I. 30.

(2) Tzschirner, *Gesch. der Apol.* pag. 149. Ipse Justinus hoc de Simone Mago statuit, *Apol.* I. 34. Apologetae vel tacite vel aperte agnoscunt miracula, ad Deorum statuas facta, revera miracula fuisse.

(3) Cf. Fabricii Hippolytus, Vol. I. p. 268.

(4) *Apol.* I. 30 sqq.

culis conciliandam appellans, quasi argumentum e miraculis, internâ suâ vi parum munitum, contra adversarios adhibere vereretur. Hoc e vaticiniis petito argumento Justinus, ut omnes hujus aevi Apologetae, mirifice delectatur.

Ut causas vidimus, ob quas Christiani ad miracula minus apte provocare poterant, ita contra erant gravissimae causae (1), ob quas argumentum e vaticiniis petitum omnium haberent gravissimum (2). Non enim Ethnici tantum Oraculis, quibus suam religionem quam maxime confirmatam crederent, verum ipsi quoque Christiani delectari solebant; unde plerique hoc maxime argumento persuasi Christo nomen dederant. Argumentum e vaticiniis petitum quovis aevo ad Christianismi divinam originem probandam magnopere valet: primis Christianis non potuit non haec probandi vis multo major esse, quum aliis θεοπνευστίας notionibus imbuti essent; singula, quae ad Christi regnum pertinerent, minutissima quoque, a veterum Hebraeorum vatibus praenunciata crederent; quam plurima denique argumenta, ad vaticiniorum divinam originem probandam, ab iis allata, quorum haud pauca nostro aevo nullius fere pretii sint, pro evidentissimis haberent.

Hoc argumentum erat aptissimum, quod Ethnicis, ad oracula sua provocantibus, opponerent, idque eo magis, quum Christiani plura argumenta, quibus va-

(1) Cf. TZSCHIRNER, *Gesch. der Apolög.*, pag. 163.
(2) Cf. *Apol.* I. 30, 37. TERTULLIANUS, *Apologet.* 20. THEOPHILUS ad *Antolyc.* p. 88.

ticiniorum divinam originem evincerent, quam quibus gentiles idem de Oraculis probarent, afferre possent; praecipue quum plures Ethnici de suorum Oraculorum veritate dubitarent (1).

Ex dictis intelligitur, quare Justinus hoc argumentum omnium habuerit gravissimum copiosissimeque exposuerit, cum ad totam Christianorum rem vindicandam, tum inprimis ad tollenda, quae Ethnicis in Jesu persona offensioni essent; efficacius enim Justino argumentum praesto esse non poterat, quam si, Apostolorum exemplo, omnia, quae Jesu acciderant, ante praedicta esse ostenderet, ita ut Jesum Dei filium non fuisse constaret, nisi singula, ante de eo praedicta, ipsius fatis essent comprobata (2).

Ingentem vaticiniorum copiam e Prophetarum, Jesaiae maxime, scriptis affert (3), quibus omnia de Jesu Dei filio ejusque regni fatis, de Daemonibus, Ethnicorum et Judaeorum maxime incredulitate poenisque ideo ab iis repetendis, de calamitatibus item, quibus Christiani premerentur, praedicta credit; quae postrema saepius eo maxime consilio urget, cum ut Ethnicis terrorem incutiat, tum ut ipsis explicet, quare Christiani, qui Deo uterentur amico, adeo premi possent (4).

Dum haec vaticinia allegat, continuo, quae ad auctoritatem divinam iis conciliandam et ad eorum veritatem probandam faciunt, interponit, ita quidem, ut

---

(1) Neander l. c. p. 13 sqq.
(2) Cf. *Apol.* I. 30, 53.
(3) *Apol.* I. 32 sqq.
(4) *Apol.* II. 8.

metuere quasi videatur, ne aliquid, quod suo argumento probando inservire possit, omittat.

De vaticiniorum authentia et integritate dubitari non posse contendit (1), quia vaticinia, ut ex ore vaticinantium emissa fuerant, regum Israëlitarum curâ scripto consignata et servata essent; deinde Ptolemaeo (qualem Ptolemaeum non ait) jubente, in Graecum sermonem conversa ubivis exstitissent.

Argumentis supra allatis, ad Mosis et Prophetarum auctoritatem divinam probandam, fundamentis positis, speciatim vaticinia Divina esse vult, quod ipsum πνεῦμα vel κινέων αὐτοὺς λόγος ea protulisset (2); quod cuncta vaticinia, diversissimis licet temporibus prolata, plane tamen consentirent; et inprimis, quod eventu essent comprobata: hoc ut probet sedulo laborat; ex historia et geographia afferens, quae vaticiniorum probationi et illustrationi inserviant; ad ea, quae suis ipsi oculis conspiciebant nec inficias ire poterant, ad Acta publica Pilati (3) aliaque publica Romanorum Acta, et maxime ad scripta Apostolorum, qualiacunque significaverit, haud male provocans.

Dubia, quae lectoribus suboriri possent, docte et ingeniose, pro notionibus tamen, quas conceperat, solvit: sic, ne Ethnici merito objicerent, in multis, quae Jus-

---

(1) *Apol.* I. 31.

(2) *Apol.* I. 33, 36.

(3) Quantum pretium huic argumento tribuendum sit, vide apud HENKE, *de Pontii Pilati Actis in causa J. C. ad Imperatorem Tiberium missis probabilia*, in viri Opusculis, pag. 212 sq.

tinus affert, locis (1) ab eo non satis attendi ad personam, qui loqueretur, nec vaticinia esse; iis hoc arguto argumento occurrit, in scriptis Prophetarum vel Deum, vel Christum, vel populum loquentem, futura praedicere (2); alias item objectiones et dubia tollit, egregie fati suspicionem amovens (3), futura, ut jam facta, a vatibus saepe proponi bene observans, vaticinia a Judaeis non intellecta contendens; et similia.

Dei denique, haec per Prophetas edentis vaticinia, consilium explicat (4), ut nempe res ante praedictae, jam eventu comprobatae, pro divinis haberentur et fide reciperentur; simul merito inde conclusionem faciens (5), ex vaticiniis eventu comprobatis sequi, reliqua quoque semel aliquando impletum iri; atque adeo Jesum quoque omni majestate adventurum, ut omnium hominum Judex, fidelibus aeternam constituat beatitatem, ab iis vero aeternas poenas repetat, qui ipsi fidem denegare ausi fuissent.

Nimis longus sim, si hic, quaenam vaticinia recte quaenam minus recte a Justino allata sint, fusius exponere, argumentaque, ad vaticiniorum veritatem probandam ab eo allata, accuratius dijudicare velim. Quae in his bene vel male sese habeant, tam aperta sunt, ut cuivis, qui leviter tantum ingentem illam Apologiae

---

(1) Justinus omnia veteris Testamenti loca, in quibus aliqua tantum cum re Christiana esset similitudo, pro vaticiniis habens, tanquam talia afferre solebat.

(2) *Apol.* I. 37 sqq.

(3) *Apol.* I. 43, 44.

(4) *Apol.* I. 33.

(5) *Apol.* I. 52.

primae partem (1) inspexerit, statim in oculos incurrant.

Haec universe monita sufficiant.

Multa omnino in hujus argumenti expositione minus probanda occurrunt. Pro typica et allegorica interpretandi sui aevi ratione, in omnibus, in vasibus quoque similibusque, quod maxime in Dialogo cum Tryphone persequitur, vaticinia et typos sibi cernere videtur. Vaticinia saepe affert, quae non sunt; Matthaei vestigiis insistens, vatum Hebraeorum effata, quae tantum accommodari possunt, tanquam vaticinia affert, eaque Jesu fatis allegorice impleta, ut facile intelligitur, ridicule demonstrat; alia impleta vult, quae post seculorum demum decursum impletum iri videntur.

Ex septuagintavirali versione plerumque memoriter citat, quod et inde apparet, quia, quae diversorum sunt Prophetarum, tanquam ab uno eodemque profecta citat; codicem videtur habuisse valde depravatum; verba explicat, prout in versione Graeca occurrunt, licet saepe in Codice Hebraeo plane aliud quid dicant.

In vaticiniorum interpretatione continuo ad allegorias confugit; ad probandum vaticinia eventu esse comprobata, argumenta parum vel nihil dicentia haud raro affert, historice et chronologice peccans.

Etiamsi haec similiaque, quae hic digito tantum monstrare potuimus, omnino improbanda sint, tamen Justinum excusandum putaverim, imo laudem quoque mereri, quod hoc argumentum modo sibi privo et

(1) A Cap. 30 sqq.

proprio exposuerit, vaticinia omnium primum in systema quoddam redegerit (1), argumenta praeterea veritati probandae inservientia nonnumquam egregia attulerit, eaque talia, quae Ethnicis non poterant non quam maxime persuadere. Quodsi Justinus non in schola Alexandrina sed Antiochena institutus fuisset, et meliorem interpretandi artem didicisset, melius hoc argumentum gravissimum expositurum fuisse credo. Justinum hoc quoque argumento strenue suas Apologetae partes egisse dicendus est, defendens et laudans Christianos, quod haud temere sed gravissimis inducti rationibus, Jesum Christum Dei filium et legatum Divinum agnoscerent, et religionem profiterentur quae omnino esset divina; Ethnicos contra vituperans, quippe qui pertinaces, supplicia sibi gravissima contrahentes, post sua ipsorum oracula falsa comperta (2), his Prophetarum vaticiniis, omnino Divinis et eventu comprobatis, fidem denegare pergerent, imo, Christianos, his fidem praebentes, tanquam superstitiosos, dementes et fanaticos persequerentur.

Quanti Justinus hoc argumentum duxerit, inde pateat, quod Christianos ipsos Jesu fidem non habituros fuisse affirmet, nisi singula ante praedicta fuissent; item ex eo, quod nullo magis argumento judicibus horrorem incutiat, quam ipso hoc ex vaticiniis ducto, quippe quo res Christiana, omni dubio procul, Divina esse appareret.

---

(1) VAN SENDEN, l. c. p. 231.
(2) TZSCHIRNER, *Gesch. der Apol.*, pag. 87.

Tertium argumentum, quo Jesum Dei filium, ejusque doctrinam divinam omnisque boni et honesti fontem, nec Christianos adeo ob doctrinam persequendos probet, ipsamque Christianorum doctrinam Ethnicis commendet, *ex ipsis Christianae doctrinae, cum dogmaticae tum moralis, placitis* petit.

Justinus ea religionis Christianae placita praecipue affert, quae defensioni et commendationi inserviant; hinc multus est in doctrina de uno Deo, de Jesu, de judicio supremo aliisque, reliqua verbo tantum attingens.

Omnium gravissima Christianorum placita *de uno Deo* et *Jesu Christo*, argumentaque, quibus eadem confirmata vellet, jam explicuimus. — De reliquis igitur videamus.

Primum animum advertit *Trinitatis*, quod dici solet, mysterium.

Justinus, ut facile intelligitur, dogma haud ita exponit et vindicat, ut seriore aevo, gravissimis de eo litibus exortis, factum est. Universe ad Atheismi criminationem profligandam contendit (1), Christianos tres profiteri, colere et adorare; Patrem nempe, Filium, et Spiritum. Justinus, ut pateret haud tres a Christianis Deos coli, de Unitate in Trinitate defendenda non laborat. Videtur haec criminatio, etsi non prorsus ignota (2), tunc rarior fuisse. Nec sane opus erat, ut Justinus, Christianos unum tantum Deum agnoscere, pluribus evinceret; quum nullum placitum magis quam

(1) *Apol.* I. 6, 13.
(2) Cf. ATHENAGORAS in *Legat.* Cap. 12.

Monotheismum ubivis urgere et vindicare soleat, ipsumque πρῶτον τῆς ἀληθοῦς θεοσεβείας γνώρισμα vocasset (1); ne dicam Christianos Trinitatis placitum, licet caput et summam religionis Christianae eo contineri putarent (2), mysterium habentes, minus per partes, accuratius definire solitos fuisse. Jesum Christum, quare Christiani Dei instar colerent, quam plurimis argumentis alibi explicat. Quod ad Spiritum attinet, Justinus videtur hunc habuisse ἀρχάγγελον, Logo servientem (3); verbo tantum de eo agit; cujus rei causa in eo quaerenda videtur, quod Ethnicis Christianorum de Spiritu doctrina et cultus minus nota, nec adeo offensioni fuisse videntur: Justinus, hoc placito exhibendo, id satis obtinuerat, quod volebat, nempe Christianos haud atheos esse, sed divina et coelestia agnoscere, revereri et colere.

Multus est Justinus in iis placitis exponendis et vindicandis, quibus Christianos non defendere tantum et laudare, verum ipsos Ethnicos stultitiae et iniquitatis convincere, terrore percellere et ad Christiana sacra allicere posset. Placita dicimus *de Animi immortalitate*, *Judicio supremo*, et *Resurrectione;* quae tria arctissime jungere solet.

Haud temere sane Apologetae ex ipsis his tribus placitis Christianorum innocentiam defendunt, eorumque

---

(1) *Cohort.* 36.

(2) Cf. MUNSCHER, *Dogmen-Gesch.*, Th. I. pag. 474.

(3) Cf. NEANDER contra MÖHLERUM in *Theolog. Studien und Kritiken*, Jahrgang 1834. ersten Heft, pag. 772 sqq.

religionem commendant. — Christiani enim eam imprimis ob causam mali homines reputabantur, quod impii, nec ullam Deorum reverentiam habentes, justas Numinum vindicias haud metuere pervulgarentur. Jam vero ex eo ipso, quod Christiani judicium supremum statuerent, quam falsae istae calumniae essent, luculentissime patebat.

Christiani praeterea fanatismi rei habebantur, quod Ethnicos, ne in professione persisterent, monentes et minitantes, parum curarent, imo spernèrent prorsus et ardore quodam fidem morte consignarent. Haud melius certe fanatismi criminationem Apologetae refutare poterant, quam si Christianos propterea Ethnicos, quos non poterant non injustos et stultos habere, haud metuere, nec mortem oppetere dubitare, probarent, quia vitam humanam non hujus vitae limitibus circumscriptam crederent, sed vitam coelestem eamque aeternam intuerentur, in qua, corporibus donati coelestibus, Deo omniscio, justo injustorum vindice, suis vero cultoribus quam maxime benigno, familiariter amico uterentur (1).

Uti haec Justinum probare impellebant, Christianos haec placita non tantum statuere, verum eosdem magnopere iis delectari, ita aliae causae, eaeque haud minus graves, ipsum incitabant, ut horum placitorum vindicias strenue ageret.

Erant nempe inter ipsos Ethnicos, qui non tantum corporum resuscitationem riderent, verum etiam ma-

(1) Justinus hoc saepissime urget. Cf. v. c. *Apol.* I. 8. II. 4.

terialismi placitum statuentes, ipsam de animi immortalitate doctrinam in dubium vocarent (1), judicium supremum et similia *κόμπους* et *φόβητρα* dicentes; quamobrem ipsa illa placita Justino non tantum propterea omni ratione erant tuenda, ut Ethnicis terrorem incuteret, verum etiam ut religionis Christianae praestantiam probaret, ipsosque Christianos, haec placita statuentes, quam maxime commendaret; quippe qui, quum animi immortalitatem statuerent, non terrestria sed sublimiora peterent; qui, scientes se coram Deo omniscio factorum rationem reddituros, multo magis ab omni pravitate retinerentur, quam Ethnici, qui illud negantes, hominum tantum, quos falli posse sciebant, metu retinerentur (2); qui denique, quo magis beatitatis coelestis participes fierent, ad quaevis bona moralia toto animo spirarent.

Has etiam gravissimas ob causas, Justinus haec placita urget et omni ratione vindicat, quod nisi fecisset Justinus, vim sibi intulisse videretur; quum haec placita Christianis maxime erant dilecta et grata quibusque sese in miseriis erigere solebant (3). Argumenta pro *animi immortalitate* simul affert, ubi placitum de judicio supremo vindicat. Haud adeo necesse erat animi immortalitatem de industria probare, quum ipsi Philosophi id jam tentassent. — Justinus tamen

(1) Neander, B. I. Abth. 1. Cap. 1. Ex justini Apologiis idem abunde patet.

(2) *Apol.* I. 12, 17. II. 1.

(3) Tertullianus in libro *de Resurrectione carnis* inquit: *Fiducia Christianorum, resurrectio mortuorum;* init. item justinus in *Apol.* II. C. 12.

haud spernendis argumentis eam confirmat: sic, quo eos animum in statum, omni sensu vacuum, non abire convincat; ad res Ethnicis notissimas necuomantias et similia haud male provocat (1); alia, quae huc faciunt argumenta, affert, ubi de *judicio supremo* placitum tuetur (2). Hoc non posse non semel aliquando haberi, egregie ex eo probat, quod homines *λογικοὶ* et *θεωρητικοὶ* (3) creati atque adeo male vel bene agere pro lubitu valentes, pro meritis praemiis sint ornandi poenisque castigandi; quum vero hac in vita pii saepe miseriis premantur, impii vero quam maxime sint fortunati, Deus vel non foret, vel si sit, humana non curaret, nil foret pietas, nil pravitas, nisi post fata judicium institueretur, quo justis praemia tribuerentur, injusti vero afficerentur poenis (4).

Quo magis allata argumenta firmet, ad ipsos Graecorum Philosophos et Legislatores provocat (5), qui alia facere, omittere alia et pravos castigare jusserant.

Metuens, ne forte animo eorum dubium aliquid resideret, et leges apud diversos populos diversas esse objicerent (6); causam hujus rei in Daemonibus quaerendam clamat. — Ne dicerent *τὴν σάρκα μόνην τῶν ἁμαρτημάτων αἰτίαν* esse, omnem boni et mali optionem penes animum esse affirmat (7).

(1) *Apol.* I. 18, 20. *Cohort.* 14.
(2) *Apol.* I. 18.
(3) *Apol.* I. 28.
(4) *Apol.* II. 8, 9.
(5) *Apol.* II. 9.
(6) *Apol.* II. 10.
(7) *Dialogus cum Tryphone.*

Justinus hoc placitum argumentorum copiâ demonstrat; licet validis minus valida admisceat, nec allata subtiliter demonstret, talia tamen affert, quae hoc placitum negare stultum esse evincerent.

Ex argumentorum expositione quisque videt, Justinum minus laborare, ut probet Christianos illud placitum haud negare, sed id agere, ut Christianos ob hoc ipsum placitum laudet ac defendat, Judices contra stultos evincat, qui Christianos tale placitum statuentes persequerentur; iniquos item, inhumanos et crudeles, quippe qui, si illud non agnoscerent, nec ullum post fata sensum superesse crederent, Christianos necarent, non ut hi perpessionibus liberarentur, verum omnibus caris, vitâ nempe et voluptate, privarentur (1), quod quam ingeniose et ex vero dictum sit, quisque videt.

Dilectissimum *de resurrectione* placitum non eo quidem acumine, quo Athenagoras, sed tamen haud minus copiâ argumentorum, quae et hodie ex parte valent, egregie probat (2); maxime in libro *περὶ φοβερᾶς ἀναστάσεως*, cujus fragmenta nobis servavit JOANNES DAMASCENUS.

Provocat primum recte ad ipsius Jesu auctoritatem, qui resurrectionem non tantum promisit, verum et suo ipse exemplo resurrectionem comprobavit, ingeniose simul monens, Jesum, ubi resurrectionem promittit, id de toto homine significasse.

---

(1) *Apol.* I. 57.
(2) *Apol.* I. 18, 19, 20.

Est hoc placitum, quod Sacri Codicis doctrinâ inprimis docetur et confirmatur: argumentis ex ratione petitis non adeo evidenter probari potest; verum et ne hoc quidem Justinus negligit, recte id, quod semel fuerit, numquam prorsus interire, contendens; item animum habitaculo indigere, maxime (quod ἀπαθὲς τὸ ἀσώματον) ut corpore indutus poenas luere possit (1); omnium maxime Dei omnipotentiam urget (2), quippe cui minus difficile sit, hominem e mortuis resuscitare, quam quidem creare (3).

Iis, qui dicerent corporum resuscitationem Deo indignam esse, ita occurrit: hominem Dei imaginem esse, quam Deus non possit non amare; quo tamen argumento parum vel nihil demonstrat. Quisque videt, Justinum ad hoc placitum, de cujus veritate Ethnicis persuadere haud adeo facile erat, firmandum, argumenta, etsi non omnia aeque valida, popularia tamen et ad vulgi captum attulisse. Licet Justinus de hujus placiti veritate Ethnicis non persuaserit, certe merito injustos eos convicit, quod Christianos ob tale placitum, cui ipsi simile quoddam de metempsychosi statuerent, persequerentur; et ob hoc placitum, quum non esset nisi peculiaris Christianorum error, Christianos persequi quam maxime iniquum esse, quamdiu hi criminum non convincerentur (4). Hoc quoque placito Judices tacite vel aperte ad Christiana sacra allicit, vivide iis depingens summam

---

(1) *Dial.* I.
(2) *Apol.* I. 19.
(3) Quod tamen minus valet. Cf. CORNER iu Comm. cit. pag. 80.
(4) *Apol.* I. 18.

felicitatem, quam Christiani per ipsam illam resurrèctionem consecuturi essent (1).

Denique mundi exustionem saepius urget, qua, pravis Daemonibus et hominibus igne coelitus demisso perditis, novus mundus exstiturus esset, in quo Christiani, numero eorum, qui Christo fidem habituri sint, expleto, quam maxime forent beati.

Hoc placitum duplici consilio tuetur, cum ad Ethnicos terrendos, tum ad ipsos Christianos defendendos, quippe qui injustos semel perditum iri, pios vero beatos fore scientes, facile constanti animo omnia perferrent, carcerem et mortem parvi ducerent.

Atque his quidem placitis dogmaticis exponendis et vindicandis, Christianorum doctrinam ipsosque Christianos defendere et commendare conatur.

Idem obtinere voluit, ubi *Placita Christianorum moralia* affert (2).

Christiani, Deorum cultu deserto, doctrinam amplexi esse censebantur, quae non tantum Deos contemnere, verum etiam eos pessime sentire et agere doceret. Contrarium jam quodammodo ex ipsis placitis dogmaticis, maxime vero ex ipsis Christianorum placitis moralibus Justinus probatum voluit.

Hunc in finem non adeo integram Christi doctrinam exhibet, sed ea inprimis morum praecepta, quae religionis Christianae sunt characteristica, eique propria et priva, criminationibusque refutandis quam maxime apta.

---

(1) *Apol.* I. 18.
(2) *Apol.* I. 14.

Ad verbum saepe Jesu praecepta moralia citat (1), ut in Euangelistarum, Matthaei maxime, scriptis reperiuntur: Deum unum mente pura et sincere colendum; quaevis ita agi oportere, ut Deo inde ab aliis omnibus honos et gloria cedant; Hominem coelestibus maxime intentum esse decere; item castitati studere, forti animo quaevis mala perferre; alios omnes, inimicos etiam, amore prosequi puro, aliis favere, servire, irasci nemini, aliorum misereri, eosque patientia et lenitate a malo abducere; semper vera profiteri, nec omnino jurare; tributa, publice jussa, conferre; quavis ratione Imperii salutem promovere, et similia.

Ne Ethnici objicerent, Christianos iis non obsequi solere, non tantum Justinus id urget et inculcat, Jesum neminem pro suo sectatore agniturum, nisi qui exacte ad haec praecepta vitae rationem instituerit; verum etiam, ut omnis objiciendi locus deësset, ab ipsis Judicibus flagitat, ut, si ex Christianis deprehendant, qui prave agant, in eos acerrime animadvertant, eosque castigent (2).

Exempla plurima affert, unde in aprico collocatur, Christianos ad haec morum praecepta vitam componere (3); de quibus autem deinde aptior erit videndi locus.

Etsi Justinus hîc, pro severiore sui aevi morum doctrina, praecepta, v. c. de eunuchis, jurejurando,

(1) *Apol.* I. 14 sqq. alibi.
(2) *Apol.* I. 16.
(3) *Apol.* I. 10, 14, 27, 29, 39, alibi.

matrimonio, alia minus recte intellexerit; tamen egregie et apte ad consilium suum obtinendum Ethices Christianae praestantiâ indicatâ, Christianos defendit et commendat; eos optima et nobiliora quaevis docere probans; simul explicans, quî Christiani Jesu praeceptis obsequendi studio, coelestibus unice intenti, terrestria et mortem parvi ducere possint (1).

Ex ipsâ hac Christianorum doctrinâ ejusque in hominum animos vi argumentum quoque petit (2), quo divinam ejus originem probet, quam et inde patere vult, quod brevi et compendiosa ratione hoc τῆς θείας ἀρετῆς διδασκαλεῖον (3) a Jesu Christo prolatum sit; quem ex hoc ipso non σοφιστὴν sed δύναμιν esse τοῦ θεοῦ patere contendit. Hoc argumentum ad religionis Chr. divinam originem et praestantiam probandam, egregium dici meretur.

Justinus hac praeceptorum moralium expositione non potuit non Judicum et omnium Ethnicorum, nisi omnis veri et honesti sensus iis obdurasset, animos percellere, et quadam Christianismi reverentia imbuere, nec minus eos maxime de iniquitate et injustitia convincere, quod homines nobili sensu et desiderio ductos, quaevis moralia bona docentes et agentes, igne et ferro peterent!

Argumenta vidimus, quibus Justinus Christianorum doctrinam a Deo profectam, eamque omnis veri justi

(1) *Apol.* I. 4.
(2) Egregie hoc exponit ORIGENES *contra Celsum*, L. I. 2.
(3) *Apol.* II. 4.

et honesti fontem, Christianos ob hanc suam professionem defensos et laudatos, ipsam denique Christi doctrinam Ethnicis commendatam voluit.

Superest ut de alia ratione videamus, quâ Justinus eundem finem obtinere conatus est.

Ethnici mentem a re Christiana habebant alieniorem, quia simplex Christianorum doctrina prorsus nova, suorum philosophorum placitis contraria, ne speciem quidem philosophiae habere, nec philosophis meditationibus ansam dare pervulgaretur.

Ut hoc quoque nomine Ethnicis offensionem eximat, Justinus *Christianam doctrinam tanquam Philosophiam, eamque cum ea Graecorum amice conspirantem, simul vero hac multo perfectiorem et subliniorem*, proponere solet; quo nihil sane ei jucundius accidere poterat, quum ipse, collatis inter se philosophorum et Christianorum placitis, hisque longe prae illis praestantioribus compertis, Christiana sacra recepisset.

Jam supra (1) explicuimus argumenta, quibus Justinus, ut verum religionis fontem indicaret, probatum vellet, philosophos sua ex Veteris Foederis libris mutuatos, haud prorsus his contraria, corrupte licet, docuisse: ubi autem consilium modo indicatum obtinere conatur, non quidem ad Mosis et Prophetarum scripta tanquam fontes Graecorum philosophiae provocare prorsus supersedet; primarium tamen ipsi argumentum est (2), quod ex doctrina de λόγῳ σπερματικῷ petitur.

---

(1) Pag. 56 seqq.

(2) *Apol.* I. 18, 20, 21, 22, 44, 46, 54, 62. II. 7, 8, 11, 13. *Dial.* 69.

Justino, qui Platonicae philosophiae amans sexcenties de τῷ νοερῷ in homine, tanquam parte divini νοῦς disputaverat, et postea, intime licet persuasus, hominem praeter inspirationem nullam rerum divinarum notitiam sibi comparare posse, tamen multa in philosophorum scriptis Christi doctrinae congrua deprehendere sibi videretur; nihil, quo sese ex hac difficultate expediret, acceptius esse poterat, quam opinio, λόγον divinum, antequam ὑπόστασις factus esset, hominibus σπερματικῶς adfuisse, atque hinc διὰ τὸ ἔμφυτον σπέρμα τοῦ λόγου ubivis veri et boni quid inveniri. Ad solvendam difficultatem, quidni veritatem melius philosophi λόγου σπέρματος participes exhibuissent, praesto erat daemonum doctrina; quippe qui Daemones id omni studio egissent, ne veritas a Philosophis recte cognosceretur, intelligeretur et exponeretur.

Hoc posito fundamento, Justinus sedulo laborat, ut, Christi doctrinâ ab illâ philosophorum haud prorsus alienâ probatâ, Christianos, quippe Ethnicis similia placita professos, defendat et tolerandos probet; simul vero ipsam Christi doctrinam Ethnicis commendet; quod inprimis ex eo appareat, quia convenientiam illam in iis maxime placitis conspiciendam evincat, quae prae aliis Ethnicos offenderent, vel quorum veritatem eosdem agnoscere, Christianorum maxime referebat.

Supra jam vidimus, poëtas et philosophos, ex Justini mente, unum tantum Deum statuisse. Probatu difficilius erat, philosophis et poëtis Jesu Christi personam, prorsus peculiarem, notam fuisse, et hos similia iis, quae Christiani de Jesu Christo dicerent, docuisse. Justinus

nihil gravius putans, quam alios omnes ad Christi religionem ducere, opinionibusque modo indicatis imbutus, facile et ex tripode quasi affirmare poterat, poëtas, a Daemonibus deceptos, hanc Jesu personam in fabulis de Perseo, Baccho, Hercule, Aesculapio, Mercurio, cet. perverse proposuisse, ad id a Daemonibus incitatos, qui, Jesu adventu praedicto, λόγον metuentes, poëtas incitaverint, ut vaticinia de λόγῳ ad fictos Dei filios accomodarent, ut, quae postea temporis Christiani de Jesu referrent, pro fabulis haberentur.

Justinus hîc misere et ridicule nugatur, non tantum ubi poëtarum fabulas ad Jesu historiam attemperat, verum maxime, ubi offensionem crucis auferre tentat; Daemones hoc luculentissimum Jesu imperii indicium, in omnibus rebus humanis, aratro, velo, et similibus symbolice praesignatum, non intellexisse nec propterea poëtas vel philisophos illud imitatos esse. Haud melius de eo judicandum, ubi Platonem Spiritum Sanctum (1) novisse et praedixisse, eundemque cum multis aliis placita de Trinitate, resurrectione, rebus Christianorum Ethicis, et sic porro, docuisse affirmat.

Justinus singula haec magno quidem verborum hiatu clamare, non vero, ac si omni dubio superiora essent, demonstrare solet.

Miramur omnino Justini ingenium; utrum vero Ethnicis his persuaserit, valde dubitamus.

Haud tamen mirari subeat, Justinum ad tam absurdas et insulsas sententias venisse. Quidni enim, pro

---

(1) Vide hic CLAUSEN l. c. pag. 84 sqq.

opinionibus conceptis, facile placita de Trinitate, τῷ λόγῳ, et resurrectione invenire sibi visus esset (ne dicam, studio quaereret), quum philosophos de Deo uno, judicio, fato et moribus, cum Christi doctrina convenientia docuisse deprehenderet?

At vero, vide quomodo Apologeta, disputandi ardore abreptus, hac suâ de λόγῳ σπερματικῷ sententiâ, Ethnicorum doctrinam deprimat, Christianam vero elevet, contendens omnia, quae ante a Philosophis bona dicta essent, ad Christianos pertinere, eosque, qui, ut Socrates, μετὰ λόγου vixissent, Christianos fuisse et tanquam tales post fata considerari; qui vero ἄνευ λόγου vixissent, ἀχρήστους esse. Hac sententiâ et eos Ethnicos refutare poterat, qui Christianis, hominum res unice per Jesum Christum restitui posse affirmantibus, saepius objicere solerent (1), nullam exstare causam, ob quam Deus haud prius λόγον misisset (2).

Justinus, Christi doctrina ab illa Ethnicorum haud alienâ probatâ, simul, quo magis Ethnicos irrideat, eandem omnibus aliis multo praestantiorem et perfectiorem demonstrat, suam sententiam eâdem de λόγῳ doctrinâ superstruens. Hac duce contendit, Ethnicos σπέρμα et μίμημα τοῦ λόγου habentes, tenuiter tantum cernere potuisse, idque eo magis, quum Daemonum vi tenerentur; Christianos contra, πάντος λόγου participes, doctrinam profiteri integram, perfectam et incorruptam.

---

(1) Cf. TZSCHIRNER, pag. 225-228.

(2) Ceterum JUSTINUS in *Cohort.* omnium Apologetarum maxime urget, in Libris Sibyllinis omnia de Jesu Christo praedicta esse. Quod argumentum, cum serioris aevi hos libros esse constet, nihil sane probat. Cf. v. SENDEN, l. c. pag. 188. ibique cit.

Dum Christianorum placita exponit, eaque cum philosophorum doctrina confert, hoc demonstrare conatur; acerbe simul continuo carpens et ludibrio exponens philosophos, inprimis Stoicos. Sic irridet eos, qui Christianorum placitis contrarii, res in nihilum abire dicerent, poenas aeternas negarent, et similia. Simul merito probans, Christianorum placita ad pietatem alendam philosophis longe praecellere; injustos esse judices, qui talia profitentes persequerentur, imo stultos, quod meliora videntes, ea haud probarent nec sequerentur.

Justinus hoc argumentum, expositu licet dignissimum, animi quidem ardore, minus vero subtiliter nec justo argumentorum pondere demonstrat.

Mira ubivis, quod et in Theophilo, Clemente Alexandrino et Origene animadvertitur, rationalismi et supernaturalismi regnat confusio. Justinus non eo tempore vivebat, quo hoc argumentum digne et juste exponeret, hoc serioris aevi ingeniis reservatum. Excusandum tamen Justinum putaverim, quia Philosophi Christiani omnes hoc tempore, in magnum rei Chr. detrimentum, philosophari solebant, ubi erat credendum; quin postea omnes fere Scholae Alexandrinae philosophi eo cogebantur quasi, quum Alexandrini philosophi ex Pythagorae, Platonis, Aristotelis, aliorumque doctrina novam philosophandi rationem conflassent (1).

Quomodocunque Justinus hoc argumentum ex sui aevi indole exposuerit, certe Christianos ob professio-

(1) Vide quae monuit Cl. HOFSTEDE DE GROOT, *De Clemente Alexandrino Philosopho*, pag. 22-23.

nem, haud novam quippe et multo Ethnicorum doctrinâ praestantiorem, non defendere tantum, verum et eximie commendare potuit, merito certe postulans, ut Ethnici Christianos, si non amare et imitari vellent, tolerarent certe et ferrent. Acute et hîc criminationem in ipsos Ethnicos contorsit, quos, dum Christiani λόγου participes, perfecti et beati philosophi praedicantur, ipsos stultos et miseros Daemonum servos esse probat; quod quantum Ethnicos pungere debuerit, quis est, qui non videat?

Quodsi hîc oculis metiamur, quâ ratione Justinus Christianos ob professionem defendere, ipsamque Ethnicis commendare tentaverit, unus quisque mecum fatebitur Justinum rem suam egregie egisse.

Et hîc elucent Justini ingenium, animi ardor, et mira doctrina; in placitis vindicandis desideratur quidem subtilitas dogmatica, argumentorum pondus et evidentia; verum talia tamen argumenta affert, quae Ethnicis si non prorsus persuaserint, Christianos unos ὁμοίως, θειῶς, μειζόνως, μετὰ ἀποδείξεως, διδάγματα κατὰ κρίσιν σώφρονα οὐκ αἰσχρὰ (1) profiteri, certe eos convincere possent, Christianos haud tales esse, quales dictitarentur, eorumque doctrinam uberiore dignam esse investigatione.

Justinum graviora, acutiora et evidentiora argumenta in medium prolaturum fuisse crediderim, si animo

(1) *Apol.* II. 14.

minus fuisset commoto, nec nobili quodam indignationis sensu, quod Christiani, talia professi, ab Ethnicis ea ignorantibus injuste et inique premerentur; nec studio flagrasset et omni animi affectu plenus id egisset, ut Ethnici Daemonibus valedicerent et Christianorum doctrinam reciperent; hoc ut obtineat, monet, precatur, minatur; hoc dum agit, verissimum esse apparet Horatianum illud dictum, *pectus esse, quod disertum faciat*, cui rei cum alia multa, tum inprimis dicta, quibus suum λόγον πρὸς Ἕλληνας finit, fidem faciant.

§ 3.

Christiani falso criminum rei habentur, professionem vita referre soliti; quique hoc minus faciunt, non Christiani censendi sunt. Injusti potius et iniqui gentiles, qui pessimis consiliis ducti, optimos homines et cives omni modo vexant, qui si hominum et imperii salutem promovere velint, id agunto, ut omnes Christianis moribus exornentur.

Hactenus vidimus Justinum Christianos egregie defendisse, et crimina, quorum rei habebantur in ipsos Ethnicos retorquentem, Christianos commendasse et laudasse. Eandem Christianos defendendi viam ingreditur, ubi criminationes, in Christianorum mores conjectas, profligare solet.

Quum gravissimas criminationes, impietatis, nempe, dementiae et superstitionis, a Justino jam profliga-

tas esse probaverimus, ubi Christianorum doctrinam exponeret et vindicaret; quisque videt, nos ea, quae supersunt, paucis complecti posse.

Christiani non tantum ob professionem impii et dementes, verum etiam aliorum criminum rei habebantur; quod nemini mirum videbitur, qui Christianorum tunc temporis rationes reputaverit.

Christiani, ut quiete Deum suum colere possent, noctu, in longinquis locis convenire solebant. Ob hoc ipsum, quia tales conventus secundum Romanorum leges illiciti erant (1), damnandi videbantur. Praeterea Ethnici, Christianorum doctrinam et mores ignorantes, facile aures praebebant rumoribus, secundum quos Christiani in his conventibus omni morum libidini sese dare et infantes interimere perhiberentur (2); quae et similia eo facilius ab Ethnicis credebantur, quum Christianos de coenis, de Jesu Christi corpore et sanguine loqui audivissent.

Praeterea Christiani vitae severiori assueti, ab omni cum Ethnicis familiaritate alieni, se invicem contra amore amplexi integerrimo, et de *regno* haud raro locuti, facile in odii generis humani et malorum consiliorum politicorum suspicionem incidebant.

Haud pauci inter Ethnicos quidem intelligebant, hos de Christianis rumores falsos esse; non tamen Christianorum vitam cum Romanorum moribus in concordiam redigere poterant; unde et hi, etsi Christianos

---

(1) Kortholt. l. c. pag. 510.
(2) *Apol.* I. 37. II. 14. inprimis Flügge, l. c. Th. 1. p. 88 sq.

criminum, quae iis objiciebantur, non reos censerent, tamen eosdem vitae sociali minus idoneos, fanaticos, hominum et imperii saluti perniciosos, imo Diis invisos putabant; quod postremum eo facilius sibi persuadebant, quum, ipsam Romanorum religionem imperii gloria confirmatam reputantes, Christianos vexatos, a Diis omnino desertos crederent (1).

Singula haec crimina profligare haud sane arduum erat Justino, qui de Christianorum innocentiâ persuasus eorumque morum integritate commotus, Christi sacra receperat. Hinc erecta mente, animo nullius mali sibi conscio, argumentorum copia, quam falsae essent illae criminationes, evidenter probat, ita quidem, ut ipsam innocentiam loquentem tibi audire videaris.

Supra jam indicavimus, Justinum Christianos ex ipsis eorum placitis defendere et commendare solere. Sentiebat tamen recte, ex Christianorum placitis nondum eorum innocentiam satis demonstratam esse, adeoque aliis argumentis iisque gravioribus sibi probandum esse, Christianos falso criminum accusari.

De Christianorum morum integritate persuasus, ex judicibus quaerere solet, num ipsi argumentis probare possint horrenda illa crimina a Christianis patrari, quae cum nulla afferri posse pro certo habeat, atque Ethnicos hoc ipso argumento in angustias redigi intelligat, ut solet, non aliunde explicari posse clamat, quod optimi illi Dei cultores adeo calumniis peterentur, nisi ex eo, quod Daemones harum crimina-

---

(1) De his criminationibus vid. KORTHOLT. l. c. p. 546 et 664 sq.

tionum sint auctores; hi pravos homines in Christianos irritent, eosque incitent, ut Christiani se flagitiorum reos profiteantur, a quibus ipsi sint alieni, quibus vero ipsi Daemones quam maxime delectentur.

Justinus hoc argumentum saepius urgere solet, cum ut genio suo indulgeat, tum ut Ethnicis explicet, quî Christiani horrendorum istorum criminum accusari possint.

Ut hoc argumentum nihil omnino demonstrat, ita aliud eo gravius saepius afferre solet: nimirum: si Christiani (sic ad judices loquitur) omni morum libidini dare se gestiant, ut Ethnici calumniantur; quidni id agunt, ut e judicum conspectu remoti vivant, quo melius crimina illa horrenda patrare possint? Hujus autem rei plane contrarium faciunt, ardore quodam se Christianos profitentes, persuasi licet mox necem ob ipsam hanc professionem sibi instare (1).

Hcc argumento pro Christianorum innocentia Justinus clarius et evidentius Ethnicis reponere non potuit, modo hi Christianos non ad fanaticorum numerum retulissent.

Non autem in his similibusque generalioribus argumentis, quibus Christianos innocuos esse probet, subsistit; ab ipsis criminibus eosdem immunes esse, singulatim demonstrat.

Ne calumniis, secundum quas Christiani in suis conventibus omni sceleri et pravitati se tradere perhibebantur, fides haberetur, religiosâ mente copiose et vivide

---

(1) *Apol.* II. 5, 12. I. 8.

ipsos hos conventus per partes describit, quid in iis fiat, accurate exponens; ita quidem ut abunde inde pateret, Christianos non tantum longe ab istiusmodi criminibus abesse, verum contra Deum πνεύματι et ἀληθείᾳ, ratione Deo et homine dignâ, colere, pro omnibus in se collatis beneficiis summo Numini gratias agentes sinceras, hymnis Eum celebrantes, nihil spectantes nisi quod Dei promovendo honori, veraeque animi pietati alendae eximie inserviret; in eundem quoque finem celebrari mysteria, baptismum et Eucharistiam (1).

Constat (2) primos Christianos mente pia et simplici convenisse, nec quidquam antiquius habuisse, quam ut in his Deum suum e Jesu praeceptis colerent atque se invicem ad quaevis bona candide et sincere incitarent. Jam vero finge tibi Justinum, Christianos calumniis peti audientem, ac si, ubi convenirent, horrenda illa crimina patrarent! An mirum, eum et omnes hujus aevi Apologetas (3) multos esse in ipsis his conventibus delineandis, et hinc maxime patere voluisse, Christianos religiosa mente teneri non tantum, verum et optimos esse homines, a criminibus, quae iis Ethnici objiciebant, prorsus alienos?

Quicunque nostris diebus hos Christianorum conventus apud Apologetas descriptos legat, non nisi primorum illorum Christianorum reverentia quadam ductus

---

(1) *Apol.* I. 11 sqq.

(2) Cf. SPITTLER, *Grundriss der Gesch. der Chr. Kirche*, p. 55 sq.

(3) CLEMENS maxime in mysteria Ethnicorum invehit; *Protrept.* 9-12.

libros illos seponet; at vero, quanto magis sensum Ethnicorum moralem excitari oportuit, eosque in stuporem quasi rapi, quum hi, ad Deorum cultum convenientes, externis unice adhaererent omnique lasciviae indulgerent!

Christianos nec in his conventibus, nec alias promiscuo concubitu misceri, nec liberos ex se natos exponere, Justinus, qui Christianos castitati maxime studere sciebat, libere et laudabili sensu ductus, ex ipsis Christianorum bonis moribus probat (1), quippe qui liberos eam imprimis ob causam exponere aversarentur, ne turpem istum quaestum meretricium, Ethnicis usu receptum, alerent; aut ne liberi, non sublati, perirent. Ethnici tali consilio (sic indignabundus ratiocinatur) liberos procreënt; non ita Christiani, qui matrimonium contrahunt, ut suam prolem honeste instituant; aut, quo magis castitati studeant, prorsus a matrimonio se abstinent: hoc non vane dictum esse, pluribus exemplis demonstrat, in quibus tamen nonnunquam Justini animus ad nimiam severitatem pronus deprehenditur.

Criminationibus refutatis alia haud minus gravis accedebat, in qua propulsanda Justinus omnes vires et nervos intendere debebat; nimirum: Christianos in his conventibus nec politicis duci consiliis, nec male Imperio Romano consulere.

Justinus Christianos, rebus terrestribus intentos, ubi de *regno* (2) loquuntur, non humanum, sed multo hoc

---

(1) *Apol.* I. 29.
(2) *Apol.* I. 11.

sublimius, *coeleste* quippe, intelligere contendit; coeleste illud regnum, cujus Jesus Christus rex sit, cujus ipsi Christiani cives sint, qui nusquam non id spectent, id intueantur, ob ipsum hoc omnia perferant; ob hoc se Christianos profiteantur, professionem licet morte multandam esse scientes. Hoc argumentum dum exponit Justinus, animo animadvertitur sublimi et elevato, haud satis (ut videtur) intelligens, Ethnicos, terrestribus totos quasi defixos, vix aut ne vix quidem regni invisibilis et coelestis notionem sibi informare potuisse!

Etiamsi Justinus his demonstraverit Christianos dictorum criminum haud reos esse, et Ethnici hoc fortasse dederint; aliorum tamen certe rei esse videbantur, quum ipsis Diis essent invisi, quippe qui iis misere afflictis nec succurrerent nec opitularentur. Hanc Ethnicis, omnia ex externis judicare solitis, offensionem et dubitationem eximere, opus erat et labor! Ex ipsis Ethnicorum magno in honore habitis scriptoribus hoc dubium prudenter solvere conatur (1), ex quibus quippe Xenophon jam ex vero dixerat, virtutis studiosos multis implicitos esse difficultatibus; unde quoque Graecorum sapientissimi, ut Socrates et alii, *μετὰ λόγου* viventes, in odio habiti fuissent. Justinus semper argumento ex vaticiniis petito plenus, omniaque fieri necesse esse, quae ante essent oraculis praedicta, intime sibi persuadens, et hîc Christianos premi contendit, quia Prophetae et Jesus praenunciassent (2). Aliud denique,

(1) *Apol.* II. 8.
(2) *Apol.* I. 12. II. 8.

eidem fini inserviens, gravius ipsi est argumentum (1), illos, qui Christianos persecuti essent, una cum Daemonibus ad finem mundi igne consumtum iri: his Daemonibus Deum ad illud usque tempus Christianos vexare permisisse. Hoc argumentum maxime urget, ex quo simul Christianos omni fanaticismi suspicione liberatos cupit; quippe qui, de hujus vindictae veritate persuasi, persecutores ne flocci quidem penderent, et mortem professionis causa oppetere non dubitarent (2).

Quo magis vero Ethnicos de Christianorum innocentia convincat, eorumque religionis simul praestantiam probet, non satis ducit Christianos dictorum criminum innocuos esse evincere, verum etiam eos laudare et in exemplum, quod omnes imitentur, proponere; summo animi ardore eos optimos esse homines et cives probans, exponens et exemplis nonnunquam comprobans vim mirificam, quam θείου λόγου doctrina in hominum animos habuerat, quamque majorem futuram fuisse contendit, si Daemones sese ei non opposuissent (3). Hunc in finem egregiam et mirabilem morum mutationem pro exemplo affert (4), quae in multis cernebatur, qui jam temperantiae, castitati, constantiae, patientiae omnique virtutis generi studentes, omnium amore et existimatione dignos sese praestarent; quique praeterea optimi cives nunquam tributa pendere intermitterent, laeti Imperatoribus servirent, pro iisdem omnia bona a

(1) *Apol.* II. 1, 7.
(2) *Apol.* I. 39.
(3) *Apol.* I. 10.
(4) *Apol.* I. 10, 14, 11, 39.

Deo precarentur, adeoque omni ratione laudandi, certe tolerandi essent, idque eo magis, quum antea has virtutes vel ignorarent plane, vel contrariis sese macularent vitiis (1).

Unum Ethnicis superesse videbatur, quo suam Christianos tractandi rationem excusarent et defenderent: nonnulli (ita objiciebant) ex Christianis pravi deprehensi sunt, atque adeo ob ipsa crimina, quorum rei deprehenduntur, castigandi (2). Justinus, quasi Christiana societas tales habere non posset, a judicibus postulat ut istiusmodi homines severe castigentur, nec pro Christianis habeantur; simul, de Christianorum innocentia persuasus, a judicibus petens et flagitans, ut in omnium Christianorum, qui tanquam pravi homines et cives deferantur, facinora diligenter inquiratur, verum etiam, si criminum haud rei deprehendantur, tanquam innocui honorifice remittantur.

Quodsi haec argumenta, quibus Christianos falso dictorum criminum reos haberi probaret, consideremus, apparet non omnia ea esse, quae Ethnicis de Christianorum innocentia persuaderent: at vero Justinus non aliud agere potuit, quam exponere, demonstrare et exemplis confirmare, Christianos crimina, quorum accusabantur, tota mente aversari, iisque plane contraria agere; quî melius Christianorum innocentiam probare potuit, quam a judicibus flagitando, ut accurate in Christianorum mores inquirentes, hos, si malos deprehenderent, severe punirent?

---

(1) *Apol.* I. 17.
(2) *Apol.* I. 7.

Justinus, Christianorum innocentia egregie probatâ, ista, quae Christianis objiciebantur crimina, in ipsos Ethnicos, ut solet, acute retorquet, aliaque illis turpiora objicit; ne viris quidem, auctoritate, honore et doctrinâ magnopere pollentibus, ullo modo parcens (1). Sic, Christianorum innocentia probata, Ethnicis acerbe illudit, qui homines Christianos, nil profitentes, nisi quod veri Dei cultum, hominum et societatis civilis salutem eximie promoveret, ob ipsam hanc professionem et nomen tanquam pravos deferrent, et rei Christianae prorsus ignari, eos omni ratione tentarent; hac sua agendi ratione idiotis sese longe deteriores probantes (2), quum hi de rebus, quas ignorent, sententiam proferre semper supersedeant. Summâ praeterea indignatione Ethnicos ita cum Christianis agere probat, pravis consiliis ductos, ut injustis Christianorum inimicis morem gerant; alios rei Chr. gnaros aliorum metu Christianos vexare, id quod verum et justum sit non propugnare, nec eos, qui haec profiterentur et agerent, tueri et defendere audentes; denique ipsos illos Ethnicos, quorum Christianos accusarent, crimina vel palam patrare vel permittere; haec et similia tam evidenter probans, ut Ethnici, nisi omni veri et honesti sensui renunciassent, Justino non possent non, tacite certe, assentiri, de sua cum Christianis agendi ratione erubescere eamque condemnare (3).

---

(1) *Apol.* II. 3, 4.
(2) *Apol.* II. 8.
(3) *Apol.* II. 3, 4, 8, 12, 14. I. 23.

Ex dictis facile intelligitur, quî Justinus, Christianorum morum probitate, Ethnicorum contra pravitate in luce collocatâ, nil magis ad Dei veri cultum, hominum et societatis civilis salutem valere, quam si omnes homines Christianorum moribus exornati essent, intime persentiens, continuo post criminationes profligatas exclamare et exoptare potuerit, ut omnes, Christo nomine dato, sese hoc nomine dignos praestarent. Hoc dum agit, Justinum Religionis Chr. praestantiam ejusque vim in hominum animos persensisse, ipsiusque animum pulchri, justi et honesti amantissimum fuisse, luce clarius apparet; quam nostram sententiam cum alia multa, tum sequentia egregie probant. *Ἔλθετε, παιδεύθητε· γένεσθε ὡς ἐγώ· ὅτι κἀγὼ ἤμην ὡς ὑμεῖς. ταῦτά με εἷλε, τό, τε τῆς παιδείας ἔνθεον καὶ τὸ τοῦ λόγου δυνατόν· ὅτι καθάπερ ἐπαοιδὸς ἀγαθὸς, ἐκ φωλεοῦ ἐξερπύσαι ποιήσας, φυγαδεύει δεινὸν ἑρπετὸν, οὕτως ὁ λόγος ἐξ αὐτῶν τῶν τῆς ψυχῆς μυχῶν τὰ δεινὰ τῆς αἰσθήσεως ἀπελαύνει πάθη· πρῶτον ἐπιθυμίαν, δι' ἧς πᾶν δεινὸν φύεται, ἔχθραι, ἔρεις, ζῆλος, ἐριθεῖαι, θυμοὶ, καὶ τὰ ὅμοια τούτοις. Ἐπιθυμίας οὖν ἀπελαθείσης, εὔδιος ἡ ψυχὴ καὶ γαληνιῶσα γίνεται· περιλυθεῖσα δὲ τῶν περὶ τὸν τράχηλον αὐτῆς κακῶν περιῤῥεόντων, ἀπέρχεται πρὸς τὸν ποιήσαντα αὐτήν. δεῖ γὰρ ἀποκατασταθῆναι, ὅθεν ἀπέστη, ὅθέν τις ἐγένετο ἢ ἔστιν* (1).

Hîc nostra de Justino adversus Ethnicos Apologeta explicit disputatio.

---

(1) *Λόγος πρ. Ε.* 6.

Exspectaveris forsan, L. B. Justinum his suis scriptis, Apologiis maxime, Imperatoribus et Ethnicis universe de Christianorum innocentia eorumque professionis praestantiâ persuasisse, et ab illis certe impetrasse, ut Christiani in imperio Romano tolerarentur publicisque persecutionibus liberarentur. — Quominus vero Apologiae hunc effectum haberent, causae in eo sunt quaerendae, quod judices eas parum curarent, et, si legerent, quid verum et justum esset, accurate inquirere omitterent; nimis praejudicatis et religioni Christianae plane contrariis opinionibus occupati (1), quam ut Christianorum professionis praestantiam intelligerent, Christianos innocuos agnoscerent, eosque tanquam tales defenderent.

Fertur quidem Antoninus Pius in *ἐπιστολῇ πρὸς τὸ κοινὸν τῆς Ἀσίας* constituisse, ut Christiani, non nisi de criminibus politicis convicti, punirentur, et ob professionem tolerarentur: verum cum interna argumenta hanc epistolam falsam, tum persecutiones Romae, Lugduni, Viennae et in Asia Minore quoque, mox sub Marco Aurelio insecutae, contrarium abunde probare videntur (2).

Verum enimvero, etiamsi Justinus his suis scriptis Christianorum tolerantiam non impetraverit, tamen multis nominibus rei Christianae profuisse dicendus est. Quae enim Justinus, *τρίβωνι* sive pallio philosopho (3) in-

(1) NEANDER, I Band. I Abth. pag. 274 sq.

(2) Cf. quae scripsit NEANDER p. 151 sq., et quos citat v. SENDEN o. c. pag. 209, in annot. 349.

(3) Vide NEANDRUM in *Denkw.* Tom. I. pag. 332.

dutus, alios de vera philosophia et religione docuerat, iis suis scriptis explicuit et meditandum reliquit. Qui deinde rem Christianam tuendam susciperent, in Justini Apologiis viam sibi monstratam conspiciebant, quâ insistentes Christianismum melius, subtilius, accuratius explicarent, confirmarent et tuerentur. Probent hoc scripta Theophili, Tatiani, Tertulliani maxime, aliorumque, in quibus aperta sunt indicia hos Justini Christianismum defendendi et commendandi rationem imitatos esse. Nostris quoque diebus Justini scripta, per se spectata, non possunt non quemvis legentem convincere, non artes esse nec literas nec philosophiam humanam, sed Jesu Christi doctrinam, eamque unice, quae omnis veri, justi, pulchri et honesti sensum homini instillet, eumque hoc nomine ex parte ad Dei similitudinem informet.

TANTUM.